IACOBI FABRI STAPV

LENSIS IN EPISTOLAM CANONICAM IACOBI COMMENTARIVS.

CAPVT PRIMVM.

1 IACOBVS, dei & domini noſtri IESV CHRISTI ſeruus, duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione, [ſalutē] Omne gau-
2 diū exiſtimate fratres, cum in tentationes uarias incideritis, ſciētes quod probatio fidei ueſtræ [patientiā] operatur.
3 [Patientia] autē, opus perfectū [habet:] ut ſitis
4 perfecti & integri, in nullo [deficiētes.] Si quis autem ueſtrum [indiget] ſapientia, poſtulet à deo qui dat omnibus [affluenter,] & nō improperat: et
5 dabitur ei. Poſtulet autē in [fide,] nihil hæſitans. Qui em̄ hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à uento mouetur & [circumfertur.] Non [ergo] exiſtimet homo ille quod [accipiat] aliquid à domino. Vir [duplex animo,] incōſtās eſt in omnibus uijs ſuis.
6 Glorietur autē frater humilis in exaltatione ſua; diues autem, in humilitate ſua: quoniam ſicut flos [feni] tranſibit. Exortus eſt enim ſol cum ardore, & arefecit [fenū,] & flos eius decidit, & decor uultus eius deperijt. Ita & diues in [itineribus] ſuis marce-
7 ſcet. Beatus uir qui [ſuffert] tentationem, quoniā cum probatus fuerit, accipiet coronam uitæ quam
8 [repromiſit deus] diligentibus ſe. Nemo cū tentatur dicat, quoniam à deo [tentatur.] Deus enim, intentator malorum eſt. Ipſe autem neminem tentat, unuſquiſq; uero tentatus [à concupiſcētia ſua abſtractus & illectus.] Deinde concupiſcētia cū conceperit, parit peccatū. Peccatum uero cum conſummatum fuerit, generat mortem. Nolite itaq; errare
9 fratres mei [dilectiſſimi.] Omne [datū optimū,] & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, apud quem nō eſt tranſmutatio, [nec uiciſſitudinis] obumbratio. [Voluntarie em̄] genuit nos uerbo ueritatis, ut ſimus [initium
10 aliquod creaturæ eius. Scitis] fratres mei dile-

ANNOT.

gaudere, χαίρειν.

patientiam, expectatione, ὑπομονήν. *& infra.*
imperatiue, ἐχέτω.
λειπόμενοι.
deſtituitur, λείπεται.
pure, ſimpliciter, ἁπλῶς.
id eſt, fiducia.

diſſlatur, impetu rapitur, ῥιπιζομένῳ. *enim γάρ.*
λήψεται, *accepturus ſit.*
duplici animo, bianimus δίψυχος.

graminis χόρτου, *& infra.*

abundantijs, copijs ταῖς ποριαις.
ὑπομένει.

promiſit dominus, ἐπηγγείλατο ὁ κύριος.
tentor, πειράζομαι.

dum à concupiſcentia ſua abſtrahitur & inescatur, ἐξελκόμενος καὶ δελεαζόμενος.

admodū dilecti, & infra, ἀγαπητοί. *donatio bona*, δόσις ἀγαθή.

aut mutationis, cōuerſationis, ἢ τροπῆς.
Cū uoluit, βουληθείς.
primitiæ quædam creaturarum eius. Quare.

ctissimi. Sit autem omnis homo uelox ad audiendum, tardus ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim uiri, iustitiam dei nō operatur. Propter quod abiicientes omnem [immunditiam & abundantiā] malitiæ, in mansuetudine suscipite [insitum] uerbū, 11 quod potest saluare animas uestras. Estote autem factores uerbi, & non auditores tantū, fallentes uosmetipsos: quia si quis auditor est uerbi, & nō factor, hic comparabitur uiro considerāti uultum natiuitatis suæ in speculo. Cōsiderauit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit [in lege perfectæ libertatis] et permānserit [in ea,] non auditor obliuiosus factus, sed factor operis: hic 12 beatus in facto suo erit. Si quis autem putat se religiosum esse, † non refrenans linguam suam, sed seducens cor suū: huius uana est religio. Religio munda & immaculata apud deum & patrem, hæc est: Visitare pupillos & uiduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire [ab hoc seculo.]

ἀπαρχήν τινα τῶν αὐτοῦ κτισμάτων. ὥσει.

sorditiem & superfluitatē ῥυπαρίαν καὶ περίσσειαν.

innatum, ἔμφυτον.

in legem perfectam, quæ est libertatis, εἰς νόμον τέλειον, τὸν τῆς ἐλευθερίας. Sic, οὕτως.

† *inter uos*, ἐν ὑμῖν.

à mundo, ἀπὸ τοῦ κόσμου.

COMMENTARIVS IN PRIMVM CAP.

IACOBVS apostolus, quem ideo dico apostolum, quod Græce titulū in libris manuscriptis legerim, ἐπιστολὴ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου ἰακώβου, & sic etiam in uolumine Græcō Venetijs excuso habet. Sic habet & argumentum Latinum. Ob id insuper quod hæc epistola huic Iacobo adscribitur, qui frater domini, & Hierosolymorū episcopus fuisse dicitur, quem & Paulus Gal. 1. fuisse Apostolum testatur, cum de Petro loquens ait: Alium autem (à Petro uidelicet) apostolorum uidi neminem, nisi Iacobum fratrem domini. Et eundem ibi inter eos qui uidebantur columnæ esse ecclesiæ, annumerat. Hic inquam Iacobus apostolus hanc epistolā quæ καθολική, id est, uniuersalis, quod ad uniuersam Christi pertineat ecclesiam, appellatur, dirigit ad omnes, præsertim ad Iudæos duodecim tribuum, per uarias regiones dispersos, illasq; inhabitantes. Qua autem ratione, quibusue de causis dispersi fuerint, & illas inhabitarint, missum faciamus, qui nihilominus iam sanctam fidē domini nostri IESV CHRISTI receperant. Quos & hoc pacto sancte salutat:

Iacobus dei & domini nostri IESV CHRISTI seruus: duodecim tribubus quæ 1 sunt in dispersione, salutem.] Eis optat eam salutem, quæ est gaudium, actusq; gaudendi: nam id importat uocabulū χαίρειν, id est, gaudere: quo eos salutat. Sed quo gaudio: quóue actu gaudij eos spiritualis apostolus, salutis loco impartiret, nisi spirituali gaudio, quod est gaudium spiritus in domino? De quo, dominus to-
Ioannis 16. tius gaudij largitor, ait: Iterum autem uidebo uos: & gaudebit cor uestrū: & gau-
Philip. 4. dium uestrum nemo tollet à uobis. Et Paulus ad Philippenses: Gaudete in domino semper. Hoc igitur spirituali gaudio, illos salutat, optatq; gaudere, nō in prosperis modo, uerum multo amplius in aduersis quæ illis occasione fidei, creberrimæ emergere solebant. Contra, quæ epistola apostolica merito roborandi, confortandi & confirmandi erant. Proinde subiungit;

Omne

2. Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes uarias incideritis,
p. scientes quod probatio fidei uestræ, patientiam operatur.] Tentationes in quas illa tempestate incidebant Christiani, uariæ erãt afflictiones. Quibusdam em̃ excitabantur seditiones, quibusdam bona diripiebantur: alijs libertates auferebãtur, alijs carceres & mortes intentabãtur, & id genus innumera, ad hoc ipsum, ut ipsi fidem abnegare cogerẽtur. In quibus omnibus uel maxime gaudendũ erat exemplo apostolorum, qui ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV cõtumeliã pati. Et quis etiã nunc est uerus CHRISTI amator, ut & illa tempestate erant quàm plurimi, qui si sciret se pro CHRISTI fide ad tribunalia trahi, & ad extrema etiam mortis supplicia, qui non gauderet, & maiore quidẽ gaudio in spiritu quàm aliâs unquam, licet illi prospera adfuerint quam plurima. Et quid mirum? Quia non usqueadeò in prosperis fides cuiusquam probata cõspicitur, ut in aduersis. Nam si tentatur quispiam blanditijs fortunæ à fide auocari, & fidelis persistat: & alius minis, terroribus, & omni aduersitate, qui simi liter fidelis persistat, huius q̃ illius fides probatior, testatiorq; est. At, quid hæc probatio fidei operatur? Nimirum patientiam, animi tranquillitatem, & certã diuinarum promissionum expectationẽ, qua aduersa quæq; pro fidei integritate, cũ gaudio spiritus tolerantur. & id multo eminentius magnanimitate, animiq; magnitudine, quam quidam philosophi probare solent. Imò hæc patientia diuine magnanima est (animos adijciente, facientẽq; spiritu CHRISTI) aduersorum tole- Actorum 5.
ratio, & probatæ fidei certissimum argumentum, dicente Paulo: Tribulatio pati- Roma. 5.
entiam operatur, patientia autem probationẽ, probatio uero spem. Nam si in aduersitatibus pro fide tolerandis patientiam demas, fides infirma est & inualida, probationem non sustinens. Quæ si adsit, firma est & proba, secum firmam, uelut anchoram in cœlestibus fixam, trahens in deo spem totamq; fiduciam. Patientia, externa respicit & uisibilia: spes et fiducia, interna & inuisibilia. Verum hæc tam pulchra patientia secum habens fidei probationem, & spem tota fiducia deo hærentem, minime languens esse debet & ociosa, sed sibi adiungere opus perfectũ, quod est diuinæ charitatis opus, &, quæ scripturis exprimitur, diuinæ uoluntatis impletio. Ideo subiungit Iacobus apostolus:

3. Patientia opus perfectum habeat, ut sitis perfecti & integri, in nullo deficientes.] Opus perfectum, est charitatis opus, & diuinæ uoluntatis impletio, quæ lege gratiæ exprimitur, & incipit à fide, dilectionem dei & proximi, amicorum & inimicorum præcipiens, quæ est supra nos. Quomodo enim deum diligeres, etiã supra te, & inimicos ac persequentes, nisi fidẽ haberes, spiritumq; fidei? Et quia illud opus sine intelligentia diuinæ legis, quæ sapientia hic nominatur, perfici non potest, posset quispiam dicere: Fidem habeo, & patientiam, neque spe destituor, simplex tamen idiotes & insipiens, legem non intelligo. Quo modo igitur fidei, patientiæ, cui spes annectitur, opus perfectum adiungam, ut perfectus sim & integer? Nam si fidem, patientiam, & spem habeam, opus autem perfectum non habeam, aliquid mihi deest ac deficit, & nõdum integer sum, quare etiam neq; perfectus & absolutus. Ideo à quo hæc perfecti operis gratia sit obtinenda, subiungit Iacobus dicens:

4. Si quis autem uestrum indiget sapientia, postulet à deo, qui dat omnibus af-
fluenter, & non improperat, & dabitur ei.] Hæc sapientia, hæc diuinæ uoluntatis intelligentia, hic scripturarum spiritus, non à nobis est, non ab hominibus, sed perinde ac fides & spes diuinum munus est. Et ideo cum deest, à deo est petẽdus, qui tantæ bonitatis est, ut omnibus petentibus det (ut hic dicit) ἁπλῶς, id est, simpliciter, pure, libere, nulli donũ suum improperãs. Simpliciter autem dat, propter

seipsum q̃ bonum, & solum bonum omnium & eorũ quibus dat: ut fide, spe, charitate, opere bono, perfecto q̃ omni ex parte in ipso & per ipsum euadant cõsummati. Qui autem dant nõ ad bonum eorum quibus dant, & propter deum qui est uere bonus, non simpliciter dant, & frequenter donum improperare solent. Sed quomodo hæc sapientia à deo petenda sit, subiungit dicens:

5 „ Postulet autem in fide, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris qui à uento mouetur & circumfertur. Non ergo existimet homo ille quod ac„ cipiat aliquid à domino. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus uijs suis.]

Si quis in fide hæsitat, id est, de deo diffidit in hoc quod petit, petens, nihil assequetur, quia non digne postulat, duplex animo est, petendo fiduciam, hæsitando autem, diffidentiam ostendens, & fluctuat animo hinc inde uacillans, & inconstans. Et proinde similis fluctui maris, qui huc illuc q̃ rapitur, quocũ q̃ uentus impulerit, incertus, uagus, & instabilis. Et fides, hoc in loco pro fiducia capi uidet, ut passim in euangelio, cum dicitur: Fides tua te saluum, aut saluam fecit. Verum tamen hæc fiducia, sine credulitate non est, quæ etiam fides nominatur, sed nõ est perfecta, nisi etiam adsit perfecta fiducia. Et hoc est signũ perfectæ fidei, quæ charisma & donum est spiritus, cum plena adest in deum fiducia: cum autẽ non adest plena, sed hæsitabunda & fluctuãs, imperfecta est fides, & humana, quam homo, non spiritus operatur. Et ideo si patientiam, charitatem, sapientiam, aut quicquã talium à deo petamus, plenam fidem, id est, fiduciã habeamus in eo, quia eius est, etiam solius, hæc munera dare: & dabit si digne petimus, si nobis expedit, & si ad
Matth. 7 recipienda ꝙ dona sumus apti. Si enim dare nollet, non diceret: Petite, & dabit uobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. Ipse uerax est in promissis, quem si talẽ esse uiua fide credimus, fiet nobis quod petierimus. Et cum multa fiducia bonitatis diuinæ, non nostræ sufficiẽtiæ, petere debemus, alioqui digni repulsa, audire possemus: Nescitis quid petatis. Et proinde sic semper plena fide
Marci 10. petendũ est, ut nõ nostra, sed uoluntas eius fiat. Et si fiat quod uolumus, non quia uolumus, petere debemus faciẽdum, sed quia uult. Et in quo fidelibus gloriandũ, & animo exultandum sit, subinde monstrat Iacobus, dicens:

6 „ Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua: diues autem in humilitate „ sua, quoniam sicut flos fœni transibit. Exortus est enim sol cum ardore, & arefecit „ fœnum, & flos eius decidit, & decor uultus eius deperijt. Ita & diues in itineribus „ suis marcescet.] Pauper fidelis, patienter ac uoluntarie pauper, tanquam ex manu dei & prouidentia paupertatem accipiens, est pauper spiritu, & exaltatus iam
Matthei 5. est. quia scriptum est: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et in hoc ipso glorietur, animo q̃ exultet, quod imitator est paupertatis
2. Cor. 8. CHRISTI, qui cum diues esset, propter nos pauper factus est. Et hæc paupertas, hæc q̃ uoluntate ac spiritu CHRISTI imitatio, uere est exaltatio. At contrà, fidelis diues non hoc ipso quod diues est, glorietur, sed magis in humilitate sua, si ablatis diuitijs seruet patientiam, sitq̃ pauperis CHRISTI uere æmulus. Nam ut à terrenis depressio, est ad deum exaltatio, ita ad diuitias exaltatio, est à deo depressio. Pugnant ex opposito, cœlum terra, paupertas diuitiæ, æterna caduca, deus mundus, exaltatio ad deum exaltatio ad mundum, depressio à mundo, depressio à deo. Si terram amas, cœlum perdis: si diuitias, paupertatem CHRISTI æmulam: si caduca, æterna: si mundum, deum: si exaltationẽ ad mundum, exaltationem ad deũ. Si odis deprimi à mundo, amas deprimi à deo. Proinde infelices sunt diuites qui gloriãtur in diuitijs suis, quibus potius esset lugendum, ut qui pro bonis caducis omnium uere bonorum iacturam fecerunt, & quod superest, cito sicut flos agri pertransibunt. Et qui eiusmodi sunt, firmã fidem non habent, quandoquidẽ tempore

pore tentationis succumbunt. Cui igitur adsunt diuitiæ, illis ad opera bona utat̃, & cor suum eis ipsis habitis non amplius apponat, quàm non habitis. Imò sibi magis timeat possidẽdo quàm carendo, ut si tempus probationis adueniat, possit inueniri fidem habere probatam, & esse de numero eorum, de quibus subdit Iacobus apostolus:

7. Beatus uir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam uitæ, quam repromisit deus diligentibus se.] Non sufficit fides, & patientia, ut uictor tentationum, immortalitate coronetur, nisi affuerit dei charitas ac dilectio: nam illam immarcessibilem coronam, non fidem habentibus, non patientiam, promittit, sed diligentibus se. Magna est fides, magna patiẽtia, magna spes: sed maxima est charitas, quæ omnia illa secum trahit & colligat, quæ omnia perficit ac consummat, non autem contrà. Studeamus ergo sancto & iugi ad deum desiderio, ab eo obtinere fidem, & talem quidem fidem, quæ, si opus fuerit, etiã tentatione probari possit. Studeamus item obtinere & spem, sed maxime omnium diuinam charitatem: quandoquidẽ qui charitatem illam habet, habet omnia, & illi promissa est uincentiũ in tentationibus corona. Et hæ tentationes, de quibus hactenus egit Iacobus apostolus, & proborum & iustorum sunt, quæ & uoluntate dei obueniunt, ut ij qui probantur, sanctiores, purgatiores ac preciosiores euadant, perinde atq; uoluntate artificis probatur in fornace aurum, ut inde splendidius, purius ac syncerius extrahatur. Nunc autem de alijs quæ improborum sunt & malorum, subiungit Iacobus, dicens:

8. Nemo cum tentatur, dicat quoniã à deo tentatur. Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat. Vnusquisq; uero tentatur, à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum uero cum consummatum fuerit, generat mortem. Nolite itaq; errare fratres mei dilectissimi.] Tam bonis quàm malis prospera largit̃ deus, non ut solicitet ad malum, quod hic tentare dicitur, sed ut bonitatis eius diuitias percipientes, fidant in eum, diligant, gratias agant, & inde salutem consequantur & uitam. Etiam tam bonis quàm malis aduersa immittit, nõ ut tentet solicitetq; ad malum, quod est peccatum, sed ut probet, id est purget, ut igne purgatur aurum, & ad se qui puritas & sanctitas est, attrahat. Non ergo huiusmodi tentationum solicitationumq; ad malum improborum iniustorumq;, deus autor est, etsi permittat eas fieri, sed qui fide, spe ac charitate destituti sunt, aut exigua admodum fide, spe & charitate in deum sunt: talibus, cum sint debilissimi, solæ carnis concupiscentiarumq; illecebræ sufficiunt ad tentationem. Nam non gratia, ut spirituales, sed concupiscentijs ut bestiæ uiuunt. Sunt sola caro & uetus homo, & nequaquã spiritus & noua in CHRISTO creatura, cui omnia cooperantur in bonum, & in illis non ratio, nõ uoluntas sensum (quod si etiam esset, sine spiritu nihil prodesset) sed ut plurimum sensus, uoluntatem secum trahit, & corpus animam mortuam: haud secus ac nauis in medio pelago nauclerum mortuum. At in quibusdam non sola concupiscentia tentat, solicitat & allicit ad peccandum, sed malignus ea adiutus, se interserit, & plerunq; inducit ad peccandum, atq; uincit. Et nonnunquam tentando præuenit concupiscentiam, eamq; excitat: ut & forte in prima matre Eua. Nã priusquàm malignus qui est serpẽs antiquus, ei dixisset: Scit enim deus, quod in quacunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi uestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Non legitur fructum ligni uetiti prius concupijsse, sed continuo post, ut subiungitur: Vidit igitur mulier quod bonum esset lignũ ad uescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit. Sic igitur malignus tentando præueniens, eius appetitum excitauit, quo usus Gen. 3.

est ut instrumento ad fallendum & perdendum genus humanum, qui & in fonte corruptus, concupiscentia dicitur. Nonnunquam etiam tentatio sequitur concupiscentiam, ut in Iuda proditore concupiscētiam auaritiæ sequuta est tentatio maligni, ut ipse proderet dominum suum, quo sibi, opinione sua resarciret damnum
Ioan. 13. unguenti effusi. Cœna (inquit) facta, cum diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotes. Et ij qui à maligno tentantur, habent adhuc animæ nonnihil uiuum. De mortuis autem & debilissimis, non est maligno curæ ut tentet eos: nam ipsi, sibi ipsis ad perditionem sufficiūt. Vnde fit, ut cum homo hominem, siue uirum siue mulierem ad peccandum tentat, uice fungatur dæmoniorum: cum autem oppositum facit, impedimentóue est ne ruat in peccatum, partes agat bonorū angelorum. At quid est: Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum uero cum consummatū fuerit, generat mortem? Concupiscentiæ radix, fomes est peccati omnibus à protoplastis insitus, nisi quem deus liberarit, qui & concupiscentia dicitur, & originale peccatum. Concipit autem concupiscentia, cum eruptura est in actum. Parit autem, cum exit in actum, qui peccatum est non originale, sed ex originali actuale. Consummatur aūt peccatum, cum illi uoluntas consentit, quod & plerunq; in opus ipsum externum egreditur: sed nihil refert, egrediatur uel non egrediatur, consentiente uoluntate, peccatū consummatum est, dominatur & regnat. Sed si non consentit, sed spiritu supprimit et mortificat uenenatum fomitis concupiscentiæq; partum, peccātum non imputatur, neq; dominatur, neque regnat. Quapropter qui fidē, qui patientiā, qui spem, qui charitatē in tentatione retinere cupit, & esse dei amicus, oret ut concupiscentiam spiritu mortificet. Hæc sapientia à deo in fide petenda, & nō modo insultus tētationesq; maligni facile superabit, uerū in illis exultabit uictor, insultantemq; ridebit. Mortificatio enim, generose uolentibus uenire ad uitā, necessaria est: & hæc est dei munus. Concupiscentia autem, noxia, & hæc parentum, & nostrū est opus. Quapropter sanctus dei apostolus nos solicite adhortat̄ ne erremus, ne peccemus, quod maxime fit ratione cōcupiscētiæ. Nos enim allicit, illectat & inescat ad peccandum. At dices: Difficile est illecebras illas fugere, & concupiscentias ne erremus, ne peccemus mortificare, insuper & insultus tentantis reprimere. Verū id est. Et id à nobisipsis posse, impossibile esse intelligere debemus. Nā id (ut dixi mus) dei munus est, & quāto perfectius, tanto ab eo peculiarius [illegible] proinde subiungit Iacobus apostolus:

9 » Omne datum optimum, & omne donū perfectum desursum est, descendens
» à patre luminum, apud quem nō est transmutatio, nec uicissitudinis obumbratio.
» Voluntarie enim genuit nos uerbo ueritatis, ut simus initium aliquod creaturæ eius.] Cum fides, spes, charitas, concupiscentiarum mortificatio, cum qua manet spiritus, ut cum cōcupiscentia caro, patris luminum sit munus è sursum in nos emanans & descendēs, semper in omnibus operibus bonis & perfectis, ab eo pendere debemus, & nobisipsis nihil tribuere, à nobis nihil sperare. Quid em̄ sumus ex nobisipsis, nisi fomes peccati, à quo quis quid speret? Sed à patre luminum omnia, qui nos etiam ingratos suis fœcundat gratijs: sicut terra arida imbrē non à se, sed è sursum solum expectat, è sursumq; fœcundatur. Patrem dico talium beneficiorum uidelicet luminum, quæ transmutationem nullam sentiunt unquam, nec uicissim ab illa benefica, imò omni benefica luce, tenebras malitiæ, aut obscurationem ullam more sensibilium luminum unquàm tantillum admittunt, sed coæterna patri lucent intransmutabiliter & intermine. Et hæc (si uolumus altius surgere) sunt pater, uerbum, spiritus sanctus. Pater, pater luminum dicitur: nō quod genuerit lumina, sed quod sit inter lumina pater. Ipse pater, lumen ingenitū. Verbum,

bum, lumen unigenitum. Et (sicut canit ecclesia) lumen de lumine, deus uerus de deo uero. Spiritus sanctus, lumen post filium ad nos, patris miseratione missum, missum item & à filio. Quomodo ergo apud patrem luminum, esset luminū transmutatio, & uicissitudine tenebrarum aliqua obumbratio? cum etiam dicat Ioannes, deus lux est, & in eo tenebræ non sunt ullæ. Data, et optimæ donationes, sunt horum luminum beneficæ in nos manantes participationes, omnes tamen in patrem, tanquam in fontanam luminum originē referuntur. Et quia hæc optimarū dationū & perfectorum donorū munia, ab illo summo patre luminū sunt, de seipso Iacobus ipse & alijs apostolis, & subinde de nobis testatur, dicēs ipsum summum patrem, uoluntate propria, et cum ipse uoluit, genuisse eos uerbo ueritatis, 1. Ioan. 1.
quod est paternum lumen, id est, à patre, & uera lux quæ illuminat omnem homi Ioan. 1.
nem uenientem in hunc mundum. Sic & omnes subinde fideles ad finem usque mundi. Sed qua generatione? Generatione certe spirituali, qua effecti sunt fientq; filij dei. Nec mirum. Nam non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex Ibidem.
uoluntate uiri: sed ex deo nati sunt. Et ad quid nati hac natiuitate spiritus? Ad hoc sanè ut essent quædam primitiæ spiritualium creaturarum dei, quibus sunt succedentes aliæq; in annos deo primitiæ fideles omnes, nō carnaliter, sed spiritualiter uiuentes, non secundum carnem & concupiscentiam ambulantes, sed secundum spiritum & gratiam ad cōsummationem usque mundi. Nos ergo sumus quoddā initium & primitiæ spiritualis creaturæ dei, sed succedentes: ipsi uero apostoli & discipuli, quorum oculi beati qui uiderunt non solum in terris, sed pleniore fide et spiritu, interiori oculo filium dei, ipsi præcedētes primitiæ & omniņ primæ fuere. Quapropter iustum est, nos ab ipsis præcepta illius spiritualis uitæ percipere. Pergit itaq; Iacobus apostolus, successores illius uitæ Iudæos, & nos in ipsis instituere, dicens:

19. Scitis fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo uelox ad audiendum,
" tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim uiri, iustitiam dei nō operatur. Propter quod abijcientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ:
" in mansuetudine suscipite insitum uerbum, quod potest saluare animas uestras.]

Ad quid audiendum debet omnis homo esse uelox? Ad quid nam, nisi ad percipiendum id quod ad illam facit nouam, spiritualem, & diuinam generationē? quod est uerbum dei, uerbum fidei & euangelicum syncere pureq; annunciatū. Et qui audit, sit tardus ad loquendū, sed in silentio cum mansuetudine suscipiāt quod infundit, seminat, inserit deus uerbum: quod saluare potest animas posteaquàm fuerit intimis penetralibus mentis eorum fide receptum, insitum, ac firmiter plantatum. Quod etiam ubi admissum fuerit, nō sit præceps ad loquendum, ad sese alijs præceptorem exhibēdum: sed spiritus expectet impulsum, qui solus fidelium, & in ipsis fidelibus uerax præceptor est. Et ut ipsum uerbum quis suscipere aut diffundere possit, summopere caueat ab ira necesse est, quæ iustitiam dei non operatur, id est, perficit atq; implet quæ quidem iustitia est legis gratiæ, legis huius nouæ & spiritualis uitæ: & non solum tardus sit ad iram, eamq; uitet, sed & omnem concupiscentiæ fœturā malam, quæ nihil aliud est quàm quoddam uirus maligni sordes & superfluitas nequitiæ, ex prima generatione contractæ. Sed non sat est discipulis, & ad uitam spiritualem uenientibus promptos esse ad audiendū quod inseritur uerbum, iram & concupiscentias primæ & carnalis generationis, & ex morsu serpentis spinas & tribulos subortos euellere, nisi facto exequantur, quæ sancta præcipiuntur doctrina. Ideo subnectit hic Iacobus apostolus:

22. Estote autem factores uerbi, & non auditores tantum, fallentes uosmetipsos.
" Quia si quis auditor est uerbi, & non factor, hic comparabitur uiro considerantí

» uultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo Conſiderauit enim ſe, & abijt, & ſtatim oblitus
» eſt qualis fuerit. Qui autem perſpexerit in lege perfectæ libertatis, & permāſerit
» in ea, nō auditor obliuioſus factus, ſed factor operis: hic beatus in facto ſuo erit.]

Verbum, nouum uitæ inſtitutum, & lex noua, quam ſubinde uocat legem perfectæ libertatis. Nam lex uetus, non erat lex libertatis, ſed ſeruitutis: non erat lex filiorum, ſed ſeruorum. Sed quæpoteſt eſſe maior libertas, quàm filiorum ſumme liberi patris? Quæ perfectior, quàm filiorum dei? Qui igitur audit hoc uerbum, hanc legem nouã, & non facit quod audit, aſſimilatur cuipiam contemplanti uultum primæ & carnalis natiuitatis ſuæ in ſpeculo; qui auerſus à ſpeculo, ſtatim obliuiſcitur qualis fuerit. Sic lex noua eſt ut ſpeculum primæ & ſecundæ natiuitatis noſtræ, quam audiẽs, contemplatur qualis ſit ex prima generatione, caro ſcilicet, peccatum, exors fidei, filius iræ, uetus homo morti gehennæq; addictus, impotens ad omne opus bonum. Et qualis ex ſecunda, ſpiritualis, donatus gratia, fidelis, filius dei, nouus homo, nouaq; in CHRISTO creatura, uitæ reſtitutus æternæ, eiusq; delicijs per ſpiritum fidei factus potens ad omne opus bonum. Verum audito uerbo abiens, & non fide per charitatem operans, perinde eſt ac ſi quales illæ generationes ſint, & qualis olim ipſe fuerit, qualisue ex audito dei uerbo eſſe debeat, oblitus ſit: imò reuera oblitus eſt, & uerbum nequicquam & inaniter percu
lit eius auditum. Eſtq; de numero eorum, de quibus in parabola ſeminis, quod eſt
Matth. 13. uerbū dei, dominus ait: Aliud cecidiſſe ſecus uiam, & aliud ſupra petram, & aliud inter ſpinas. Qui autem auditor eſt, nō obliuioſus, id eſt, contemplator pulchritudinis ſecundæ ſuæ generationis in lege noua quod eſt uerbum uitæ, is eſt opera-
Ibidem. tor. Et is eſt de quo dicitur: Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Non enim is ſolum audit, ſed eius quod audit, ſubinde memor per fidem operatur, imò ipſe ſpiritus fidei & uerbi operatur, & multiplicem fructum affert deo acceptibilē. Hoc ipſo beatus apud eum, qui nullum bonū, quod ab ipſo manat qui eſt pater luminum, ſinit irremuneratum. Sed uideat qui eiuſmodi expectat à deo mercedem, ut linguam ſuam frenet à malo, neq; ſe ullo pacto in
Luce 18. opere efferat aut iactet, aut ſeipſum glorificet more phariſæi operantis, infrenata lingua ſe iactantis & dicentis: Ieiuno bis in ſabbato, decimas do omniū quæ poſſideo. Nam qui talis eſſet, uane operaretur, tandem beatitudinis fine fruſtrandus, non cognoſcens ſpiritus gratiam in ſe operantem, ſed ſibi attribuēs quod eſt ſoli deo & gratiæ eius tribuendum, ſe exiſtimans aliquid eſſe cum nihil ſit, & ſeipſum ſeducens. Quapropter ſubiungit Iacobus apoſtolus:

12 » [Si quis autem putat ſe religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum: huius uana eſt religio. Religio munda & immaculata apud deum
» & patrem, hæc eſt: Viſitare pupillos & uiduas in tribulatione eorum, & immacu
» latum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo.] Omnis qui fidē CHRISTI profitetur, religioſus eſt. Et hæc ſola uniuerſalis, ſpiritualis, diuina, deo accepta, & altiſſima eſt religio. Et qui huiuſmodi religioſus eſt, qualis eſt quiſq; uerè fidelis: nihil uanum habere debet, neq; audiendo, neq; loquendo, neque operando. Alioqui hæc aut aliquid eorum habens, ſe putans religioſum fidelemq; eſſe, ſeipſum animamq; ſuam falleret atq; deciperet. Et hæc religio, in ſola fide IESV CHRISTI quæ par charitatem operatur, ſita eſt. Nam in hac, qui diligit, legem impleuit, legē dico CHRISTI & perfectæ libertatis. Verum hæc dilectio nō ſecundum carnē, ſed à gratia & ſpiritu profecta eſſe debet. Et ſi omnia huiuſmodi fidei opera deo grata ſunt: nonnulla tamen opera ſunt in hac ſpirituali religione deo admodū accepta: quorum hic adducit apoſtolus aliqua, ut cum uiſitantur pupilli & uiduæ in tribulatione ſua. Et hæc dici ſolent, opera miſericordiæ, quæ plenius enumerantur apud Matthæum,

Matthæũ, Cibare esurientes, potare sitientes, colligere hospites, operire nudos, infirmos uisitare, ad incarceratos uenire. Quæ omnia illic de fidelibus dicta sunt, alioqui non diceret dominus: Quando fecistis uni de fratribus meis minimis, mihi fecistis. Et quid est se custodire ab hoc seculo, nisi se incontaminatum seruare ab ijs quæ opera carnis nominantur? qualia sunt quæ enumerat Paulus ad Galatas, scribens hoc pacto: Manifesta sunt autem opera carnis, fornicatio, immundicia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, ueneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissentiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comesationes, & his similia. Quæ (inquit) prædico uobis, sicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum dei non consequentur. Ergo uir spiritualis, cuius religio munda & immaculata apud deum & patrẽ, non adulterium, non fornicationẽ nouit, non lasciuiam, non in re ulla luxum, non auaritiam, quæ est idolorũ seruitus: neq; in re ulla aliena à deo spem & fiduciã habens tam in ijs quæ spectãt ad uniuersalẽ prouidentiam, quàm etiam in ijs quæ & ad alterius seculi uitã. Non ueneficiũ aut maleficium ullum nouit, non inimicitias, lites, æmulationes, iras, rixas, seditiones, hæreses, quæ sunt secessus à uerbo dei, & particulares modorum uiuendi præter uerbum dei, sed ex hominum traditionibus electiones, non immundicias, cædes, ebrietates, comesationes: sed omnimodam castitatem, sanctitatem, pudicitiam, frugalitatem, liberalitatem, humanitatem, & quæ diuiniloquus Paulus, opera spiritus enumerat: charitatem, gaudium in spiritusancto, pacem, patientiam, longanimitatem, bonitatem, benignitatem, mansuetudinem, fidem, modestiam, spem, & hæc, & omnia superiora in spiritu sunt intelligenda, & nõ secundum animalẽ, id est, rationalem hominem, de quo & cuius operibus loquũtur philosophi, quæ & magnifaciunt, nos autẽ hic minime. Quippe quæ ut talia & sine spiritu saluare possint. Quia qui CHRISTI sunt, carnem suam crucifixerunt cum uitijs & concupiscentijs, uerè mortificati mundo & uiuentes deo. Quæ omnia, ut nostra CHRISTI & euangelica religio non uana sit & otiosa, sed sancta & immaculata nobis largiri dignetur pater domini nostri IESV CHRISTI super omnia benedictus, pater æternorum luminum, & largitor datorum perfectorum & donorum optimorum. Cui cum filio & spiritusancto coæternis luminibus: honor, & gloria, & gratiarumactio in uniuersa seculorum secula. Amen.

Matth.25.

Galat.5.

Galat.5.

CAPVT SECVNDVM.

13 FRATRES mei, nolite in personarũ acceptione habere fidẽ domini nostri IESV CHRISTI [gloriæ.] Etenim si introierit in [conuentum] uestrum uir aureum annulum habens, in ueste [candida,] introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eũ qui indutus est ueste [præclara,] & dixeritis ei: Tu sede hic bene, pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede [sub scabello pedum meorum: nónne iudicatis] apud uosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarũ? Audite fratres mei [dilectissimi:] Nónne deus elegit pauperes in ► hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni quod repromisit deus diligẽtibus se?

ANNOT.

gloriæ, opinione, an *ceps,* δόξης.
cœtũ, cõgregationẽ, τὴν συναγωγήν.
fulgida, præclara, λαμπρᾷ. λαμπράν.
subscabellum meũ, et non diiudicati estis, οὐ διεκρίθητε. ἀγαπητοί.

ANNOT.

Vos autē exhonorastis pauperem. Nónne diuites per potentiam opprimunt uos, & ipsi trahunt uos ad [iudicia?] Nónne ipsi blasphemant bonum nomen quod inuocatum est super uos? 14 Si tamen legem perficitis regalem secūdum [scripturas:] Diliges proximum tuum sicut teipsum, bene facitis. Si autem personam accipitis, peccatum operamini, [redarguti] à lege [quasi] transgressores. Quicūq; [autem] totam legem seruauerit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit &: Nō occides. Quod si non mœchaberis, occides autē, factus es transgressor legis. 13 Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis [incipientes iudicari.] Iudicium enim sine misericordia illi qui non facit misericordiam. [Superexaltat autē misericordia iudicium.] Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nūquid poterit fides saluare eum? Si autem frater [&] soror nudi sint, & indigeant uictu quotidiano, dicat aūt aliquis ex uōbis illis: Ite in pace, [calefacimini] & saturamini: non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic et fides, si nō habeat opera, mortua est in semetipsa. 16 Sed dicet quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo. Ostende mihi fidē tuam [sine operibus,] & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Tu credis quoniam unus est deus? Bene facis, et dæmones credunt, & contremiscunt. Vis autem scire ō homo inanis: quoniam fides sine operibus [ociosa] est? Abraham pater noster nónne ex operibus iustificatus, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est? Et [suppleta est] scriptura, dicens: Credidit Abraham deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus dei appellatus est. Viuetis quoniā ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum. Similiter & Raab meretrix, nónne ex operibus iustificata est, [suscipiens] nuncios, & alia uia [eiciēs?] Sicut enim corpus sine spiritu, mortuum est: ita & fides sine operibus mortua est.

prætoria, forum iudiciarium? κριτήρια.

scripturam, τὴν γραφήν.

& redarguimini, ἐλεγχόμενοι.

ut, tanquam, ὡς.

enim, γάρ.

iudicandi, μέλλοντες κρίνεσθαι.

Exultat autem misericordia aduersus iudicium, κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως.

aut, ἤ.

calescite, θερμαίνεσθε.

ex operibus, ἐκ τῶν ἔργων.

Legit interpres: ἐκ τῆς τῶν ἔργων.

mortua, νεκρά.

impleta est, ἐπληρώθη.

cum suscepisset, ὑποδεξαμένη.

eiecisset, ἐκβαλοῦσα.

COMMENT.

COMMENT. IN CAPVT SECVNDVM.

PRIVS ostēdit Iacobus apostolus eorū qui linguam frenare nesciūt, religionem uanam esse: uerum non eorum solum uana est, sed & eorum qui ex facie & externis personas acceptāt, ut quempiam ob elegantiam formæ, ob diuitias, ob fortunæ splendorē. Similiter etsi paucum ob personam ipsam præ se ferentem commiserationem. Et id minime spectat ad eos qui habēt fidem domini nostri IESV CHRISTI, qui est dominus totius maiestatis & gloriæ, qui fide & spiritu fideles metiuntur & ex internis, non ex carne & externis. Qua de re ad superiora adiungit Iacobus:

β Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem domini nostri IESV CHRISTI gloriæ. Etenim si introierit in conuentum uestrum uir aureū anulum habens, in ueste candida: introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eū qui indutus est ueste præclara, & dixeritis ei: Tu sede hic bene, pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: nónne iudicatis apud uosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarū? Audite fratres mei dilectissimi: Nónne deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit deus diligentibus se? Vos autem exhonorastis pauperem. Nónne diuites per potentiā opprimunt uos, & ipsi trahunt uos ad iudicia? Nónne ipsi blasphemant bonum nomen quod inuocatum est super uos?]

Quod ait apostolus Iacobus: Si introierit in conuentum uestrum, id est in cōgregationem: locum intelligit, ubi publica exercentur officia, & Christiana quidem, ut publica uerbi dei annunciatio, sacrorū librorū explanatio: aut ubi ius reddēdo iudices, neq; personā pauperis, neq; diuitis iubentur agnoscere, scriptura dicente: Non facies quod iniquum est, nec iniuste iudicabis: non consideres personā pauperis, nec honores uultum potentis. Et qui personam diuitis acceptāt, & pauperē abijciunt: non spiritu fidei, sed sensu carnis id faciunt, qui deo placere non potest. Quin potius cogitare deberent ne id facerent, ipsos diuites per potentiam suā opprimere solere pauperes, & ad tribunalia trahere, & infamare bonum nomen, nomen inquam domini nostri IESV CHRISTI, quod super eos inuocatum est: spernendo mandata eius & charitatem quam præcepit uiolādo. Cæterū, deum ipsum elegisse pauperes in hoc mūdo, diuites in fide, hæredes regni quod promisit deus dilectoribus suis. Sic cogitant, qui fidem spiritumq; fidei habent. Quod si pauper quem ex persona spreuerant, istiusmodi erat, inhonorauerūt pauperem electum à deo, fide diuitem, & hæredem regni cœlorum, & graue acceptionis personarū crimen incurrerunt. Absit igitur ut apud fideles uiros, neque in cœtibus publicis ubi publica quæpiam fit administratio, sit personarum acceptio, neq; etiam in priuatis. Acceptio siquidem personarum ubicq; est mala. Non quod non sit deferendus honor parentibus, maioribus, prudentibus, in potentia & dignitate constitutis, non externa, sed deum, & dei munera in ipsis considerando. Hæc, nō est acceptio personarum, dicente scriptura: Honora patrem tuum & matrem tuam. Honora personam senis. Et Paulo: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Et rursum: Reddite omnibus debita. Cui tributum, tributum: cui uectigal, uectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. At acceptatores personarum forte dicent: Hoc facimus, sic proximo nostro hunc honorem impendimus, quem tanquam nosipsos diligere debemus. Ad quod respondet Iacobus apostolus, dicens:

Exod. 20. *Ephes. 6.* *Leuit. 19.* *Roma. 13.* *Ibidem.*

14 Si tamen legem perficitis regalem secundum scripturas. Diliges proximum tuum sicut teipsum, benefacitis. Si autem personam accipitis, peccatū operamini, redarguti à lege quasi transgressores. Quicunq; autē totā legem obserua-

» uerit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit: Nō mœcha
» beris, dixit &, Non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es
» transgressor legis.] Legē appellat regalem, non quia ab aliquo mortali rege po
sita sit: sed à deo ac Christo qui est rex regum, et dominus dominantium. Proinde
lex regalis, & lex diuina, lex euangelica eadem est. Et quid est illam legem perfi-
cere? Est ex fide per charitatem operante, eam adimplere. At fides non externa re
spicit, sed legem dei uiuam in intimis penetralibus cordis per spiritum fidei inscri
ptam, quæ deum attendendo per charitatem impletur. At qui acceptat personā,
externa respicit, & per charitatem non operatur: quare à lege regali & perfectæ li
bertatis à lege CHRISTI redarguitur: perinde atq; olim iudices qui in iudicio
acceptabāt personas, quod in ueteri lege prohibitū est, sic dicēte domino in Deu
teronomio, id est secunda lege, quæ legis euangelicæ typus est, ad iudices de ijs
Deute. 1. qui ingrediuntur ad eos: Audite illos, & quod iustum est iudicate, siue ciuis sit ille
siue peregrinus. Nulla erit distantia personarū: ita paruum audietis ut magnum,
neq; accipietis cuiusquam personam, quia dei iudicium est. Et qui unius mandati,
certe de charitate, transgressor est, etsi cætera seruauerit, factus est omniū reus, id
est, condemnabitur, neq; cæterorum obseruatio prodesse poterit ad salutem. Nō
quod quisquam puniatur tanquam qui cōmisit furtum, homicidium, adulteriū,
falsum testimonium, aut quippiam talium, si solum habuerit defectum charitatis
erga proximum, & per charitatem non sit operatus: sed quia (ut lex mandat) non
est operatus ex fide per charitatem: & quia si cætera obseruauit, non, ut oportuit,
obseruauit, quandoquidem charitate non faciente, nullum, ut oportet, obseruet
mandatum. Quare qui charitatem proximi non habet, per quam etiam omnia fi-
delis operatur, nullum, ut oportet, obseruat mandatum, & factus est omniū reus,
perinde atq; qui nō adulteratur, at homicidium committit, transgressor est legis.
Ergo qui in uno solo, charitate uidelicet, transgreditur, cætera secundum appa-
rentiam seruans (sine charitate enim obseruari nō possunt) erit omnium reus. At
nunc quomodo nobis loquendū, & quomodo nobis uiuendum, sequenti sermo-
ne exponit Iacobus apostolus, dicens:

15 » Sic loquimini, & sic facite: sicut per legem libertatis incipientes iudicari. Iudi
» cium enim sine misericordia illi qui non facit misericordiam. Superexaltat autem
» misericordia iudicium. Quid proderit fratres mei, si fidē quis dicat se habere, ope-
» ra autem nō habeat? Nunquid poterit fides saluare eum? Si autem frater aut soror
» nudi sint, & indigeant uictu quotidiano, dicat autē aliquis ex uobis illis: Ite in pa-
» ce, calefacimini & saturamini: non dederitis autē eis quæ necessaria sunt corpori,
» quid proderit? Sic & fides, si nō habet opera, mortua est in semetipsa.] Perfecta
libertas est qua CHRISTVS nos liberauit & filios dei fecit. Lex libertatis, & per-
fectæ quidem libertatis (ut iam quoq; dictum est) lex CHRISTI, lex noua, lex gra
tiæ, lex dilectionis & amoris, quæ maxime cōmendat misericordiam. Euntes (in-
Matth. 9. quit dominus) discite quid est: Misericordiam uolo, & non sacrificium. Et rursus,
Matth. 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et: Estote miseri
Luce 6. cordes, sicut & pater uester cœlestis misericors est. Et quid mirū? cum misericor-
dia sic fidem quæ per charitatem operatur, comitetur, ut fragrantia, thuris suffitū
qui per ignem excitatur. Misericordia dico erga indigentes, & nos offendentes.
Si diligis certe indigentem, si diligis aut in te aut in re aliqua te offendentem, non
potes non utriq; compati, utriusq; misereri, & (si habes unde possis) etiam opere
testari. Sic deus innumeris beneficijs erga nos, etsi offendentes continue, suum te
statur amorem, suamq; misericordiam. Ergo qui uerè sunt fideles, non solum ser-
mones habere debent misericordiam redolētes, sed & facta pietatis & misericor-

diæ ple-

diæ plena. Et in omnibus sic uiuere, tanq; ex ea lege quæ misericordiam præfert, sint iudicium uitæ accepturi, & non iudicium condemnationis & mortis, aduersus quod misericordia prævalet, gloriat, exaltat, & (ut sic dicam) triumphat. Alioqui si iudicio opponere non possint opera misericordiæ, quid expectant à iudice legis libertatis, nisi audire quod & seruus ille immisericors in euāgelio: Serue nequam, nónne oportuit & te misereri cōserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et deinde tradi tortoribus quousq; uniuersi debiti exoluerit pœnas. Quid si nunc? cum non sit tunc tempus satisfactionis? CHRISTVS qui nos de morte extraxit, et nos à peccatis nostris suo sanguine lauit, omnium maxime misertus est, & quotidie miseretur quandiu uitales spiramus auras: sed iudicium illi sine misericordia fiet, qui non fecerit misericordiam. Quid iuuat quenquam habere fidem, et fidem quidem gratiæ & misericordiæ, nisi opera fidei habeat cum possit? perinde sanè ac si quis pauperem, nudum, algentem, fame pereuntē uidens, illi dicat: Vade frater in pace, calesce & saturare. Sanè ut ille sermo nihil iuuat pauperem, quia sermoni desunt opera: sic nec fides nihil operantem. Vt ille sermo inefficax & mortuus est: sic & fides sine operibus cum adest occasio, mortua est. Imò non est, nisi mētito nomine, fides. Sed qui tales sunt, nomine tenus fideles, dicūt satis sibi esse, habere fidem, alij autem habeant opera. Alij contrà: Opera habeo, id mihi satis: alij fidem habeant. At id non esse posse ostendit Iacobus dicens:

Matth. 18.

Sed dicet quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo. Ostende mihi fidem tuā sine operibus, et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Tu credis quoniam unus est deus, bene facis, & dæmones credunt, et contremiscunt. Vis autem scire ô homo inanis, quoniam fides sine operibus ociosa est? Abraham pater noster, nónne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniā fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est? Et suppleta est scriptura, dicens: Credidit Abraham deo, & reputatū est illi ad iustitiam, & amicus dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus iustificat̄ homo, & non ex fide tantum? Similiter & Raab meretrix, nónne ex operibus iustificata est, suscipiens nuncios, & alia uia eijciens? Sicut em̄ corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.] Impossibile certe est quempiam fidelem esse, habentem quidem fidem, sed non opera fidei cum se suggerit ex fide per charitatem operandi occasio. Alioqui nomine tenus solum, fidelis esset, non uerè fidelis. Est em̄ fides, charisma à spiritu dei infusum, & arbor bona. At omnis arbor bona, ex saluatoris sententia, fructus bonos facit. Et contrà: Impossibile est opera bona eum habere, qui fidem nō habeat, & quæ nō sint ex fide. Nam omne quod non est ex fide, peccatum est. Cæterum si fidem non habes, infidelis es & arbor mala: nam caro & uetus homo. At attestante domino, non potest mala arbor fructus bonos facere. Vterq; ergo, & dicens se habere fidem, sed non curare opera, & dicens se habere opera bona, & nō illi curæ esse fidem, seipsum seducit. Sed qui fidē habet, dum tempus adest operandi, opera bona habeat necesse est: & qui bona opera habet, fidem habeat oportet. Proinde inquit Iacobus: Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Sunt enim opera bona, signa fidei. Ostendam, inquit, fidem meam. Sunt & boni fructus, bonam declarantes arborem. Alia autem opera quæ non sunt ex fide, etiam per dilectionē, sed humanam, qualia opera uirtutum moraliū secundum philosophos, etsi bona esse uideantur, reuera bona non sunt. Et habere fidē sine operibus, ut credere duntaxat scripturis, & uerbo fateri, id non iustificat. Alioqui dæmones iustos diceremus. Nam quæ sic credimus, & dæmones credunt, & contremiscunt. Secus forsitan fuerit, si exercēdi opera fidei nondum aduenit tempus, ut in paruulis, quibus sola fides sufficit ad iustitiam, aut

Matth. 7.

Roma. 14.

Matth. 7.

ipsis artificio spiritus infusa suo tempore manifestanda, aut parentum & suscepto
rum fides, interim dum in fide adolescant. Et latroni pendēti in cruce, quanquam
Lucæ 23. et id dictum fidei opus habuit: Domine memento mei dum ueneris in regnū tuū.
Quid hoc: Memento mei, nisi miserere mei? Et cum opere fidei habuit regni ui-
tæ æternæ promissionem? Et Raab meretrix credidit quod deus Hebræorum tra
Iosue 2. diturus erat ipsis terram illam, & quod ipse solus esset uerus deus. Dominus enim
inquit, deus uester, ipse est deus in cœlo sursum, & in terra deorsum. Et non solū
hanc fidem habuit, sed & fidei adiecit opera, & liberauit Hebræos. Et hæc, & ille
ex fide iustificatus est, sed ex fide non infructuosa, uerum quam opus pro fructu
uiuam declarauit. Et Abraham, quia credidit, iustificatus: sed non quia fide mor-
tua credidit, sed uiua: non ociosa, sed operosa, quæ semper secum habebat timorē
& amorem de. Timorē dico quo deū reuerebatur, & offendere cauebat. Amorē
uero, quo ex fide operabatur, supra se & supra omne quod in mundo uel maxime
charū habebat. Quod in prompta uoluntate immolandi filium (quem in hoc mun
do summopere diligebat) Isaac, manifestauit. Ex operibus igitur Abrahæ eluce-
bat eius fides, & uiua quidem fides. Sic & uere consummateq; fidelibus elucere
debet. Et cui hæc fides adest, is continuo iustus est, & iustus & iustificatus, repu-
tante deo huiusmodi fidem ad iustitiam, id est, deo iustificante: alioqui nondū iu-
stificato opus sequens, bonum non esset. Sine fide sanè sic Abraham non fuisset
operatus: sed fides operibus eius per dilectionem erga deum cooperabatur. Sic
omnium fideliū fides per dilectionē cooperari debet, ut sit fides uiua, perfectaq;
atq; consummata. Quam CHRISTVS IESVS, fidei autor nobis largiri dignetur,
qui fideles suos in se gloria & honore coronat. Cuius patri sit summa gloria, &
summus honor per ipsum, & cum ipso, per infinita seculorum secula. Amen.

CAPVT TERTIVM.

ANON. T.

17 NOLITE [plures] magistri fieri fratres mei, scientes quoniam ma
ius iudicium [sumitis.] In multis enim offendimus omnes. Si quis
in uerbo non offendit, hic perfe-
18 ctus est [uir. Potest etiā freno circumducere totum corpus. Si autem] equis frena in ora mitti
mus, ad consentiendū nobis, omne corpus illorū circumferimus. Et ecce naues cū [magnæ] sint, et
à uentis [ualidis minentur:] circūferuntur ➡ au
tem à [modico] gubernaculo, ubi impetus diri-
gentis uoluerit. Ita & lingua modicū ➡ quidē]
membrum est, & [magna exaltat.] Ecce [quan-
tus] ignis quàm magnam syluam incendit? Et lin
gua ignis est, [uniuersitas] iniquitatis. † Lingua
constituitur in membris nostris, quæ maculat to
tum corpus, & inflammat rotam natiuitatis no-
stræ inflammata à gehenna. Omnis enim natura
[bestiarum] & uolucrum, & serpētium, & [cæ-
terorum]

multi, πολλοί.

sumemus, λαμβάνομεν.

Vir potens est freno moderari etiā totū corpus. Ecce etiā. ἀνὴρ, δυνατὸς χαλιναγωγῆσαι καὶ ὅλον τὸ σῶμα. ἰδοὺ καὶ. *tantæ*, τηλικαῦται *sæuis impelluntur*, σκληρῶν ἐλαυνόμεναι. *minimo*, ἐλαχίστου. *magna iactat*, μεγαλαυχεῖ. *modicus*, ὀλίγον. *mundus*, ὁ κόσμος.

† *Sic*, οὕτως.

ferarum, θηρίων.

terorum] domantur, & domita ſunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare poteſt, [inquietum] malum, plena ueneno mortifero. In ipſa benedicimus deū & patrē, & in ipſa maledicimus homines qui ad imaginem & ſimilitudinē dei facti ſunt. Ex [ipſo] ore procedit be-
19 nedictio & maledictio. Non oportet fratres mei hæc ita fieri. Nunquid fons de eodem foramine [emanat] dulcē & amarā ► aquā? Nunquid poteſt fratres mei ficus [uuas] facere: aut uitis ficus? Sic neq; ſalſa dulcē poteſt facere aquā.
Quis ſapiens & [diſciplinatus] inter uos? Oſtendat ex bona conuerſatione [operationem ſuam]
20 in manſuetudine ſapiētiæ. Quod ſi zelū amarum habetis, & [contentiones ſint] in [cordibus ueſtris,] nolite gloriari, & mendaces eſſe aduerſus ueritatem. Non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens à patre luminū: ſed terrena, [animalis, diabolica.] Vbi enim [zelus] & cōtentio, ibi & [inconſtantia] & omne opus prauū. Quæ autem deſurſum eſt ſapiētia, primū quidē [pudica] eſt, deinde pacifica, [modeſta, ſuadibilis] ► bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis [iudicans] ſine ſimulatione. Fructus autem iuſtitiæ in pace ſeminatā faciētibus pacē.

marinorum, ἐναλίων.

incoërcibile, irretentibile, ἀκατάσχετον.

eodem, τοῦ αὐτοῦ.

ſcaturit, βρύει.
olиuas, ἐλαίας.
† *ullus fons*, μία πηγή.
ſalſa, † θαλυκὸν ὕδωρ.
ſciens, ἐπιστήμων.
opera ſua, τὰ ἔργα αὐτοῦ.

contentionem, ἐριθείαν.
corde ueſtro, τῇ καρδίᾳ ὑμῶν.
animalis, dæmoniaca, ψυχικὴ, δαιμονιώδης, *ſic dicta ab anima & dæmone.*
† *id eſt inuidia.*
ſeditio, ἀκαταστασία.
pudica, caſta, ἁγνή.
æqua, & bona, mihi obediens, ἐπιεικὴς, εὐπειθής.
ſine dijudicatione, &, ἀδιάκριτος καὶ.

COMMENT. IN CAP. TERTIVM.

PAVCOS in ſingulis quibuſq; multitudinibus facere ſolet deus qui cum eminenti bonitate, docendi obtineant munus: imò ad totius mundi inſtitutionem quatuor ſolum elegit euangeliſtas, id eſt, qui CHRISTI in terris uerſati, deſcriberent hiſtoriā, & duodecim apoſtolos, quibus unum ſolum adiunxit uerè gentium doctorem. Sint ergo pauci in communitatibus qui ſe dici uelint magiſtri, iuxta hoc Iacobi præceptum dicentis:

17 Nolite plures magiſtri fieri fratres mei, ſcientes quoniam maius iudicium ſumitis. In multis enim offendimus omnes. Si quis in uerbo non offendit, hic perfectus eſt uir.] Et cum dicit: Nolite plures magiſtri fieri, duo prohibere uidetur, & doctrinarum multitudinem, & nominis ambitionem. Nam ubi plurium eſt eadem doctrina, ut Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, Petri, Pauli, Iacobi, & cæterorum apoſtolorum: non tam plures magiſtri, quàm ab unitate doctrinæ, unus magiſter, id eſt doctor, dicendi ſunt. Doctor, dico, non quem ſchola hominum parit, ſed ſpiritusſancti. Illius (ut ait Apoſtolus) ſcientia inflat, & huius charitas ædifi- 1. Corint. 8.
cat. Et in ſcripturis doctoris nomen quem ſchola ſpiritusſancti creat, magis hominibus tribui ſolet quàm magiſtri nomen. Doctrinam ergo non prohibet Apoſto-

lus,ſed doctrinarum multitudinem: quod accidit quoties aliud docẽt quàm purũ ſyncerumq; uerbum dei,pure & ſyncęriter ubi oportet expoſitum. Et hæ omnes diſciplinæ quæ extra uerbum dei ſunt, uariæ dicuntur & peregrinæ, quas omnes
Hebr.13. ſancti,& Paulus etiam ſummopere prohibet,cum ad Hebræos ait: Doctrinis uariis & peregrinis nolite abduci. Prohibet etiam Iacobus & præeminẽdi in docendo ambitionem & nomen ambitioſum. Et adeò hoc uocabulum magiſtri ambi-
Matth.23. tioſum eſt,ut dominus noſter prohibuerit diſcipulis ſuis, ne ſe magiſtros nuncuparent. In quo & pariter ambitionem notat ſcribarũ & phariſæorũ,cum ait apud
Ibidem. Matthæum: Amant autem primos recubitus in cœnis,& primas cathedras in ſynagogis,& ſalutationes in foro, & uocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite uocari Rabbi: unus eſt enim magiſter ueſter, omnes autem uos fratres eſtis. Et ſubdit: Nec uocemini magiſtri,quia magiſter ueſter unus eſt CHRISTVS. Et qui docendi,imò dominandi ſub autoritate doctrinæ,cupiditate aguntur,ſimiles ſcribis & phariſæis frequenter uarias peregrinasq; doctrinas loco uerbi dei inducunt. Et cum dominantur,alligant onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum,quæ digito ſuo nolunt mouere. Omnia opera ſua faciunt,ut uideantur ab omnibus,& reliqua omnia quorum habent dominum noſtrum IESVM CHRISTVM uerilſimum prophetam,teſtem & iudicem ſuæ condemnationis. Et cum in multis offendant omnes: ipſi in uerbo,id eſt doctrina, grauius cæteris offendunt,docentes quæ non oportet,& multidudinem ſeducentes, detrahũt omni ſtatui,omni dignitati,omni perſonæ cui non bene afficiuntur: inuident aut male uolunt: inobedientes aut male affectos reddunt auditores ſuos erga poteſtates,& eos omnes quos deus ipſis præfecit, & quos ſpiritus CHRISTI ad uerè do-
Ibidem. cendum imbuit. Et iuxta diuinum uerbum: Claudunt regnum dei ante homines, quod cum non intrent,non ſinunt uolentes intrare. Nõ abs re ergo apoſtolus inhibet multos fieri magiſtros,quandoquidem errantes,& in errorem mittẽtes,inflati ſenſu carnis ſuæ,ambitioſi, maiorem eas ob res accipiunt condemnationem (id enim magis iudicium deſignat)& in uerbo magis delinquunt. Nam in uerbo doctrinæ quàm plurimos ad perditionem trahente. Qui autem in uerbo non delinquunt,in uerbo dico doctrinæ, ex iſs qui publicum ſuſcipiunt docẽdi munus: hi nequaquam uaria ſentiendo,multitudine doctrinarũ diuiſi,non inflati, non ambitioſi,ſed perfecti ſunt uiri,quorum doctrina deſurſum eſt, non uaria,non peregrina,non humana,non terrena,nõ diabolica. De qua poſtea facturus eſt apoſtolus mentionem. Et proſequitur incommoda lubricæ linguæ ad omne uirus infundendum,quo magis cautos reddat in doctrina eos, qui aliorũ ſuſcipiunt inſtituendorum prouinciam,dicens:

18. Poteſt etiam freno circumducere totum corpus. Si autẽ equis frena in ora mittimus ad conſentiendum nobis,omne corpus illorum circumferimus. Et ecce,naues cum magnæ ſint, & à uentis ualidis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo,ubi impetus dirigentis uoluerit. Ita & lingua modicum quidem membrum eſt,& magna exaltat. Ecce quantus ignis, quàm magnam ſyluam incendit. Et lingua ignis eſt,uniuerſitas iniquitatis. Lingua conſtituĩ in membris noſtris, quæ maculat totum corpus,& inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata à gehenna. Omnis enim natura beſtiarum,& uolucrum,& ſerpentum,et cæterorũ domantur & domita ſunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare poteſt: Inquietum malum,plena ueneno mortifero. In ipſa benedicimus deũ & patrem,& in ipſa maledicimus homines qui ad imaginem et ſimilitudinem dei facti ſunt. Ex ipſo ore procedit benedictio & maledictio.] Freno grandiũ animalium corpora ad uoluntatem ſuam homines moderantur, flectentes quocunq; uoluerint:

uoluerint: ut uideri promptum est in equis, mulis, bobus, & id genus animalium. Et naues etiam magnæ, modico clauo gubernaculoq;. Ex omni genere bestiarũ, id est uolatilium, & terrestrium, & aquatilium, uidemus ab humana natura nonnulla domari. Quid est igitur quod nullus hominum linguam suam modicum quidem membrum domare potest? Et certe nemo hominum quantum ex sese & ex prima generatione domare potest, secus in secunda, ubi spiritus & gratia domat. Sed in carnalibus lingua tam exiguum membrum, magna exaltat, id est, magnifactrix est & magnæ iactantiæ, & maxime in ijs qui arrogant sibi uanam docendi scientiam, & uanum magistri nomen ambiunt. Et tam modicus ignis (linguam dico maledicam) tam magnam syluam, tantum auditorum agmen, tantam turbam accendit. Est enim huiusmodi lingua, unus mundus, & uniuersitas nequitiæ: & non est malum quod ex mala carnalium lingua procedere non possit. Mala lingua prius inflammatur ab igne gehennæ, id est, à diaboli ueneno primæ generationi instillato. Deinde inflammat rotam, id est circulũ & uniuersum cursum illius natiuitatis, qui secundum spiritum, spiritualiterq; uiuendo debebatur spirituali & secundæ natiuitati. Lingua mala carnalium ac secundum affectus uiuentium hominum, ueneno mortifero plena intolerabile malum est. Ex eadem siquidem lingua benedicunt deum, id est summum & æternum patrem: etsi hæc benedictio nihil eos iuuet, cum sit carnalis, & ab arbore mala, qualem deus non requirit, & sint de numero eorum de quibus scriptura dicit: Hic populus labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. Vera benedictio cordis est & spiritus, non linguæ & carnis: & spiritualis, non carnalis: & nouæ creaturæ, non ueteris Adæ. Et talem carnalium benedictionem ex mala arbore nasci indicium certum est, quod eadem lingua maledicunt ac deuouent homines qui ad imaginẽ & similitudinẽ dei facti sunt. Et proinde ex eodem ore nõ potest procedere reuera benedictio & maledictio, reuera dulce & amarũ, reuera bonũ et malũ, uerũ & falsum, uiuificũ et mortiferũ: sed reuera omnia inde procedẽtia mala sunt, etsi secus uidea tur. Quod si assumunt in ore suo uerba dei quæ bona, uera & uiuifica sunt, nõ ab ipsis procedũt, neq; illis prosunt, neq; deo placent enarrantes illa, dicẽte domino de talibus in propheta: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamẽtũ meũ per os tuũ? Tu uero odisti disciplinã, & pieciſti sermones meos retrorsum. Quod subinde nõ ita esse uiuendum, neq; ita posse fieri, ratione indicat Iacobus, dicens:

Esa 29.

Psal. 49.

19. Non oportet fratres mei hæc ita fieri. Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam? Nunquid potest fratres mei ficus uuas facere: aut uitis ficus? Sic neq; salsa dulcem potest facere aquam. Quis sapiens & disciplinatus inter uos? Ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ.] Non oportet, quia certe ita fieri non potest: multo minus quàm ficus, ficus producere possit & uuas: & uitis, uuas & ficus: & quàm non potest fons ex eodem foramine dulcem aquã & amaram emittere: neq; enim salsa aqua potest ex sese dulcem facere. Sic neq; malum cor & carnale, bonum & malũ producere: neq; bonum & spirituale, producere bonum & malum. Sed bonum non potest nisi bonum, nec malum ex se nisi malum. Ergo dices: Spiritualis nunquam peccat. Verũ ais, neq; potest ex nouitate creaturæ, dicente Ioanne: Scimus quod omnis qui natus est ex deo non peccat: sed generatio dei conseruat eum, & maligmus nõ tanget eum. Sed si peccat quandoq;: hoc est ex infirmitate ueteris Adæ. Quod si uetus Adam & caro dominetur: nouus homo & spiritus non manet. Nõ enim possunt simul regnare. Sed oportet arborem bonam esse à dominante & regnante spiritu, depressa & domita carne, & multo melius omnino mortificata, cum per spiritum dei extinctus fomes peccati non sentiretur, neq; ullam sese exe-

1. Ioan. 5.

reret in concupiſcentiam. Sed hoc ultimum opus ſpiritus, rarum. Aut arborem malam eſſe dominante & regnante carne, ſpiritu autē nunquam ſuſcepto aut ablato. Proinde non poteſt homo ſimul bona & mala facere, ſimul eſſe ſpiritualis & carnalis. Nam ſi ſpiritualis eſt, dominatur & regnat ſpiritus & gratia: & ſi carnalis, dominatur & regnat peccatum & caro. Quod inſinuabat dominus, cum di-
Matth.12. cebat phariſæis: Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malā, & fructum eius malū. Nemo certe non immutatus, poteſt utramq; Quis ergo ſapiens & diſciplinatus inter homines: ſapiens dico, et diſciplinatus ſapientia & dei diſciplina, quæ eſt per uerbum dei & mortificationem ſpiritus, non ſapientia & diſciplina carnis, quæ eſt per uerbum hominū & mortificationes hominum, quas pœnitentias dicunt? Is profecto qui ex bona conuerſatione, quæ nimirum eſt ſpiritualis & ſecundum ſpiritum, alioqui quomodo bona? oſtēdit opera ſua bona, ut ex bona arbore bonos fructus, in manſuetudine ſapientiæ diuini uerbi diuinæq; doctrinæ. Et tales ſe præſtare debēt, cum ad id munus habent aliorum doctores, inſtructores atq; doctores: non autem tales, quales continuo ſubiungit Iacobus, dicens:

20 » Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſunt in cordibus ueſtris, no» lite gloriari, & mendaces eſſe aduerſus ueritatem. Non eſt enim iſta ſapientia de» ſurſum deſcendens à patre luminum, ſed terrena, animalis, diabolica. Vbi em̄ ze» lus & contentio, ibi inconſtantia & omne opus prauum. Quæ autē deſurſum eſt » ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis » conſentiēs, plena miſericordia, et fructibus bonis, iudicans ſine ſimulatione. Fru» ctus autem iuſtitiæ, in pace ſeminatur, facientibus pacem.] Zelus amarus, inuidia eſt cum odio & cupiditate nocendi. Et qui hoc modo docent, uoluntq; haberi magiſtri, prodit apoſtolus unde ſit, & quæ ſit eorum ſapientia: ſiquidē nō deſurſum eſt deſcendens à patre luminum, ſed terrena eſt, animalis, diabolica. Vbi em̄ zelus & contentio, ibi inconſtantia & omne opus prauum. Nam hæc à carnis fomite ſunt, à quo nullum bonum. Etenim ut ſtabilitas & conſtantia, ſpiritum & gratiam ſequitur: ita inſtabilitas & inconſtantia carnem & peccatum. Qualem ergo ſapientiam habere debent qui alios debent inſtituere, magiſtri nomine digni, etſi hoc nomen refugiant in terris? Sapientiā profecto quæ deſurſum eſt, quæ deſcendit à patre luminum, quæ non eſt terrena ſed cœleſtis, non animalis, ſed ſpiritualis, non dæmoniaca ſed diuina, caſta & pura cum primis: ſubinde pacifica, clemens, æquaq; & bona, bonis audiens, plena miſericordia & fructibus bonis, ſine diſceptatione & cōtentione, ſine fictione & hypocriſi. Et quæ hæc alia niſi doctrina euangelica, ſenſu ſpiritus CHRISTI, non humano annunciata? quæ cum talis
Gal.5. ſit: ſeminat in pace fructum, id eſt opera iuſtitiæ, quæ fructus ſpiritus Paulus appellat. Iuſtitiæ dico fidei, nouæ legis, et plane diuinæ in pacificorum animis. Quæ enim contentioſa eſt, nō ſeminat in pace, ſed in turbulentia: neq; fructum iuſtitiæ dei, ſed potius inanem gloriam iuſtitiæ carnis & uanitatum mundi, quas qui ſequuntur CHRISTVS illis gratis mortuus eſt, nō intelligētibus in ſola fide CHRISTI & fructu eius eſſe iuſtitiam, neq; in pacificorum animis, ſed in altercationū,
Tit.3. cōtentionum, genealogiarumq; (quas prohibet Paulus) amatoribus. Illam igitur deſurſum ſapientiam, amoremq; euangelium dominus IESVS, qui eſt abſoluta ſapientia nobis & omnibus ubiq; gentium, alios docendi munus ſuſcipientibus, pure & ſyncere largiri dignetur: ut tam populus uerè inſtitutus, quam ipſi uere inſtituentes, patrem domini noſtri, & ipſum in ſpiritu et ueritate laudent, glorificent, magnificent in perpetuas æternitates. Amen.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

ANNOT.

21 VNDE bella et [lites] in uobis? Nónne † ex [concupiſcētijs] ueſtris quæ militant in membris ueſtris? Concupiſcitis, et nō habetis: [occiditis] & zelatis, & non poteſtis adipiſci. Litigatis & belligeratis, ► & non habetis, [propter quod] non poſtulatis. Petitis & non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiſcentijs ueſtris
22 [inſumatis.] † Adulteri, neſcitis q̄a amicitia huius mundi [inimica] eſt dei? Quicunque ergo uoluerit amicus eſſe [ſeculi huius,] inimicus dei cōſtituitur. An putatis quia inaniter ſcriptura dicat: Ad inuidiā [concupiſcit] ſpiritus qui [habitat] in uobis? Maiorem autem dat gratiā, ► propter quod dicit: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

pugnæ, μάχαι. & infra.
† hinc, ἐντεῦθεν. uoluptatibus, τῶν ἡδονῶν, & infra.
inuidetis, φθονεῖτε.

id eſt, propterea quod.

expendatis, δαπανήσητε.
† & adulteræ, μοιχαλίδες. inimicitia, ἔχθρα.
mundi, τοῦ κόσμου.

23 Subditi ergo eſtote deo: reſiſtite autem diabolo,
24 & fugiet à uobis. [Appropiate] deo, & ap-
25 propinquabit uobis. Emundate manus peccato-
26 res, & purificate corda duplices animo. [Miſeri eſtote,] & lugete, & plorate: riſus ueſter in luctum
27 conuertatur, & gaudium in mœrorem. Humilia-
28 mini in conſpectu domini, & exaltabit uos. Nolite [detrahere alterutrū] fratres mei. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem ſuum, detrahit legi, & iudicat legem. Si autem iudicas legem, nō es factor legis, ſed iudex. Vnus ► enim eſt legislator ► & iudex, qui poteſt [perdere & liberare.] Tu ► autē
29 quis es qui iudicas [proximum] tuū? [Ecce] nūc qui dicitis: Hodie [aut craſtino] ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi ► [quidē] annum, † & mercabimur & lucrū faciemus, qui ignoratis quid erit in craſtino. Quæ eſt enim uita ueſtra? Vapor eſt ad modicū [parens, & deinceps exterminabitur.] Pro
30 eo ut dicatis: Si dominus uoluerit, &: Si uixerimus, faciemus hoc aut illud. Nūc autem [exultatis] in ſuperbijs ueſtris. Omnis exultatio talis maligna eſt.
31 Scienti igitur bonum facere, & non facienti: peccatum eſt illi.

ſatigamini, affligimini, ταλαιπωρήσατε.

obloqui inuicem, καταλαλεῖτε ἀλλήλων, & infra.

ſeruare et perdere, σῶσαι καὶ ἀπολέσαι. alterum, τὸν ἕτερον. age, eia, ἄγε. & cras, καὶ αὔριον. unum, ἕνα.

apparens, & deinde diſparens, φαινομένη, ἔπειτα δὲ ἀφανιζομένη.
gloriamini, καυχᾶσθε, & infra.

COMMENT. IN CAPVT QVARTVM.

Prouer. 3. ACTENVS & de ijs qui uias ſapientiæ dei pacificas, ſicut ſcriptum eſt: Viæ illius, uiæ pulchræ: & omnes ſemitæ illius pacificæ, & pacis euangelium uere ſcientes docere debent, & de ijs qui eas ignorantes, alios inſtituere præſumunt, & nomine magiſtrorum uane gloriantur. Nunc autem ad omnes, & ad eos qui præſunt, et ad eos qui ſubſunt, communem agit ſermonem. Quia quales præceptores, tales & diſcipulos eſſe neceſſe eſt. Si tumidi, contentioſi, zelo inuidiaq; pleni, & uoluptuarij, & prorſus ſecundum carnem ambulantes: & talis euadet populus qui eos audiet ut olim euadebat, eorumq; formabatur exemplo. Ad huiuſmodi ergo, pariter & qui male inſtituunt & qui male inſtituuntur, ſuum Iacobus apoſtolus dirigit ſermonem, dicens:

21 » Vnde bella et lites in uobis? Nónne ex concupiſcentijs ueſtris, quæ militant in
» membris ueſtris? Concupiſcitis, & non habetis, occiditis & zelatis, & non pote-
» ſtis adipiſci. Litigatis & belligeratis, & non habetis, propterea quod non poſtu-
» latis. Petitis, & nō accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiſcētijs ueſtris in-
» ſumatis.] Omnia mala homini chriſtiano ex concupiſcentijs oriuntur, & nō tam chriſtiano quàm dicto chriſtiano: imò uix is dici poteſt chriſtianus, in cuius membris concupiſcentiæ regnant. Chriſtianus ſiquidē à CHRISTO nominatur, quod

Rom. 8. CHRISTI ſit, ſpiritumq; eius habeat. Nā (ut inquit Paulus) Si quis ſpiritū CHRISTI non habet, is non eſt eius. Et qui talis eſt, uitam eius profitetur, & illi uiuēdo eſt ſimilis. Qui igitur fit ut chriſtiano concupiſcentiæ militent, regnent, tyrannidemq; obtineant in membris? Certe ſi quæ concupiſcentiæ ex uetere Adam non plene mortificato interdum ſurgunt Chriſtiano, non militant, non uincunt: ſed illico à ſpiritu CHRISTI reprimunt captiuæ, ut Hiebuſæi olim inter Iſraëlitas. Nemo ergo CHRISTO ſimilis eſſe poteſt, qui ſpiritu CHRISTI non uiuit. At ſi concupiſcentiæ & uoluptates in membris ſic uiuunt, militant, & aduerſus ſpiritū bella gerunt ut illum extrudant: tunc male uictrix caro, in omne facinus male exultat, & pro chriſtianis reddit non chriſtianos, & pro pacificis CHRISTI chriſtomachos & uere antichriſtos. Qui concupiſcunt, & quod cōcupiſcunt habere nō poſſunt. Qui occidūt & æmulant, & id nō adipiſcunt propter quod cædes committunt, & inuidia torquentur. Pugnant & belligerant, & id non habent propter quod bella miſcent: quia non à deo petunt, à quo id erat poſtulandum, nō illo modo quærendum. Poſtulant, & non adipiſcuntur: propterea quod non ut par eſt id

1. Regum 2. efficiunt, poſtulantes ab eo cuius eſt largiri. Deus enim pauperē facit & ditat, ſubleuat & humiliat. Et ideo ſi quicquam ab eo petunt, non accipiunt: quia male petunt. Nam ſpiritus fidei bonus orator apud deum eſt: ſenſus autem carnis malus: neque gratia cuius oportet, petunt: ſed ad hoc ipſum uidelicet, ut in uoluptatibus ſuis expendant. Hæc omnia facit ſtulta caro, ſpiritu CHRISTI deſtituta. At uir chriſtianus qui per ſpiritū CHRISTI mortificatus eſt, qui per eundē cum CHRISTO crucifixit carnem ſuam cum uitijs & concupiſcentijs: non concupiſcit, non occidit, non zelat, non pugnat, non litigat, nō belligerat. Si qua re illi opus eſt, ab eo in ſpiritu fidei petit qui libere dat & non improperat, & accipit quantum uitæ ſpiritus quam dei dono ſortitus eſt, competit. Et hæc concupiſcentiarum mortificatio eſt, quam præſtat ſecunda generatio ei qui uult iugiter, caute, & ſecundū ſpiritum ambulare. Et eſt dei donū, quod homines ſuſcipere debent, ut in eis operetur illam carnis mortificationem, nō repellere, aut reſiſtere: dei inquam donum eſt, ne quis humanis uiribus ſe id obtinere poſſe confidat, ut ieiunijs, afflictionibus, aut quibusuis macerationibus. Etſi hæc, dum ſpiritu impellente, non ſenſu

carnis

carnis fiunt, non officiant, imò cooperentur potius ad illam mortificationẽ, dum carni, quæ spiritui mortificanti concupiscentias nostras reluctatur, uires huiusce modi afflictionibus utcunq; eneruantur. Hinc sancta desideria habemus, ut sicut supplices sunt oculi seruorum ad manus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ ad manus dominæ suæ: ita magis iugi attentione oculi nostri sint ad dominũ, donec misereatur nostri. Donum enim hoc perfectum est & desursum, descendens à patre luminum: quo & Petrus, & Paulus, & cæteri apostoli in afflictionibus donati fuerunt, & quicũq; uere spirituales per uarias tentationes & afflictiones probati euaserunt. Et ad id summopere niti debet homo, siue blandiant̃ prospera, siue flagellent aduersa: ut à deo obtineat quo uere sit, et uere dici possit christianus. Nunc autem ad eos specialius qui uoluptatibus defluentes propter illecebras uoluptatesq; mundi, siue uiri, siue mulieres, fornicantur à deo, alteri adhærentes, & ipsi sunt uere adulteri & adulteræ: siquidem spiritu: ad eos inquam, cõnectit apostolus suum sermonem, dicens:] Psal. 122.

12 » Adulteri, nescitis quia amicitia huius mundi, inimica est deo? Quicunq; ergo » uoluerit amicus esse seculi huius inimicus dei constituit̃? An putatis quia inaniter » scriptura dicat: Ad inuidiã concupiscit spiritus qui habitat in uobis? Maiorẽ autẽ » dat gratiã, propter quod dicit: Deus superbis resistit, humilibus autẽ dat gratiã.]

Amicitia huius seculi, carnalis est: deus spiritus est. Fœda est & immũda: deus puritas & sanctitas ipsa. Ideo ipsa inimica est deo: & amicus mũdi, inimicus dei. An scriptura inaniter dicat: Spiritus dei qui per regenerationis gratiam habitauit in uobis, concupiscit ad inuidiã? Deus em̃ ex Exodo, cognoscitur deus zelotes. Inuidet sanè nos alteri iungi: cum ipse magis alijs omnibus nobis præstet gratiam. Et id inuidere: est sic eum et spiritũ eius nos uehemẽter amare, ut nolit nos alteri quàm sibijpsi adhærere. Sed qui ipsi adhærent? Quibus dat maiorẽ ad adhærendum sibi, quàm mundus, & omnia alia dare possint suis adhærẽtibus, suisq; amatoribus: Certe humilibus spiritu, sicut scriptum est: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Omnia dat nobis dominus, cœlestia, terrestria, suum filium, suum spiritum, & multiformẽ gratiã, ut illi hæreamus. Mundus aũt, & malignus, nihil nobis dant, sed data auferũt. Miserrimus ergo est, qui deo non adhæret, sed mundo & maligno. Vtinã iugiter omnes fixũ cordi haberent, quod propheta de utrisq; canit: Quia ecce, qui elongant se abs te, peribunt: perdes omnes qui fornicantur abs te. Mihi autẽ adhærere deo bonum est. Bonum ergo, adhærendo deo, sequamur. Et perditionem quam assequimur, cum ab eo elõgamur, fugiamus. Deinde apostolus dat aliquot documenta, quorum primum est: Exod. 21. & 34. 1. Pet. 5. Psal. 72

23 Subditi estote deo, resistite autem diabolo, & fugiet à uobis.] Qui humiliter
» se submittunt deo, iustitiam eius facere parati, ij dominantur peccato, & sunt sub-
» iecti deo, & serui iustitiæ. Et hos malignus nũc afflictionibus, nunc concupiscentiarum ueteris hominis reliquijs, nũc tentationum suggestionibus retrahere molitur: cui uiriliter in fide, nõ proprijs uiribus, sed auxilio spiritus fisi, eius cui se per fidem subiecerunt, resistere debent. Et ob subiectionem, & dei susceptam tutelã, ac spiritus potentiam, grassator malignus aufugiet: haud secus ac lupus ouem reluctantem præsens habentem pastoris auxilium, ilico fugit. At quantumcunque reluctaretur ouis, nisi adesset pastoris tutela, nisi præsens auxilium, neq; lupus rapax fugeret, neq; ouis misera euaderet. Ergo primũ est ut simus subiecti deo, & cum hoc reluctemur aduersario, nunquam illi assentientes: non nostro, sed pastoris fisi auxilio. Et ipse qui pastor est uere bonus, à spirituali nos lupo liberabit, & non nos ex nobisipsis (id enim nobis impossibile) sed ipse effugabit malignum, ut non ouis ex sese, sed pastor grassantẽ in oues lupum. Secundum:

24 » Appropinate deo, & appropinquabit uobis.] Reſiſtere maligno, eſt ab eo elongari & auxilio appropinquare: & hoc nimirum eſt deo appropinquare, qui eſt cuiuſq; fidelis auxilium, defenſio, protectio. Et certe cum ouis perſequente lupo ad paſtoris auxilium confugit: appropinquat illi feſtinanter paſtor, & eam ab omni periculo liberat. Quid igitur faciet paſtor ille, qui ſolus bonus eſt: qui nunquam oues ſuas omnes non uidet, & nihil non poteſt: Conuertet ſanè eas ad ſe, & uires appropinquandi ſuggeret. Si apertis oculis fugis tenebras, lumini appropinquas, & ſol oculis tuis ſe ingerit. Sic te aperi domino, & ipſe ſe tibi inſinuabit, teq; clementibus miſericordiæ ſuæ oculis intuebitur, infundetq; ſe tibi. Et hoc eſt te ad ipſum qui nuſquam non eſt appropinquare & ipſum ad te. Tertium:

25 » Emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo.] Peccatores ij ſunt, qui maligno nō reſtiterunt. Et quid eſt peccatores manus ſuas emundare, niſi ſordidam conſcientiā ab operibus malis lauare? At quomodo lauabūt, niſi per fidem reſipiſcendo, & ſeſe ad fontem miſericordiarum de cōmiſſis dolendo, gemendo, triſtando: ad quod, quam primum fides in promiſſis beneficiorum CHRISTI adeſt unicæ ſalutis noſtræ, ſpiritus CHRISTI illos adiuuat. Si quidem
2. Cor. 7. (ut Paulus inquit) Quæ ſecundum deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Duplici animo (quos Iacobus uno uocabulo διψύχους, quaſi dicas duplicianimes uocat) ſunt ij omnes, qui præ ſe ferunt ſpeciem bonorum & iuſtorum hominum in ore & ſecundum faciem, aliud geſtantes in corde. Et hi ſunt falſaces, iniuſti & hypocritæ. Hi cor unum intus gerunt, & aliud ſecundum apparentiam foris pandunt, ſuntq; duplici corde. Ideo corda purificare debent, ut quales foris uideri uolunt, tales ſint intus (ſiquidem cor internum plenū eſt dolo, fraude, iniuſtitia, & omni ſpurcitia) ut poſſint poſthac cor nouum, purificatum, ſimplex, & minime ſimulatum poſſidere. Vt enim aurum adulteratum, multiplex, & impurum, niſi purificetur, reprobatur ab hominibus: ſic duplices animo, niſi reſipiſcant, & purificentur, reprobantur à deo. At quomodo purificabuntur, niſi per gratiam domini noſtri IESV CHRISTI, per iuſtitiam fidei, amplectendo pure &
Rom. 1. ſyncere doctrinam euangelij, quæ (docente Paulo) eſt in ſalutem omni credenti. Sed quid eſt, quod his etiam temporibus, non modo animo duplices, ſed & triplices, & quadruplices, & (ut ſic dicam) millecuplices, & qui in omnes ſeſe nouerūt transformare formas: inueniuntur qui etiam iuſtitiæ fidei, & euāgelio aperte obluctantur? Hi nihilominus cor tam uariū, tamq; difficile ad purificandum habentes, ſi ſe fide conuertunt ad eum, cui omnia poſſibilia ſunt, qui pro ipſis mortuus eſt, qui nouit & amat imaginem ſuam reformari, purificabuntur: ſed id quidē ſine fide impoſſibile eſt. Quartum:

26 » Miſeri eſtote, & lugete, & plorate: riſus ueſter in luctum conuertatur, & gau-
» dium in mœrorem.] Ad peccatores & duplices animo hoc documentum pertinet: qui rident & gaudent in hoc mundo, neq; aliam putant felicitatē, quàm huius mundi quærere ſolatia. Hic hos admonet potius rerū mundanarum miſeriā, quàm huiuſmodi felicitatem, & luctum, fletum, & mœrorem, quàm riſum mūdi
Luce 6. fluxum, & uanum gaudium quærere & amplecti. Nam ſcriptum eſt: Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Et contrà: Væ uobis qui ridetis nunc, quoniam lugebitis & flebitis. Riſui & gaudio in hoc mundo, luctus & ploratus in altero promittitur: & fletui in hoc mundo, riſus & gaudium in altero: & miſeriæ huius mundi, felicitas alterius. Proinde bene præcipit Iacobus amatoribus huius mundi, miſeriam, luctum, ploratum, & mœrorem potius in eo eligendum eſſe, quàm huiuſmodi felicitatem, riſum, & gaudium. Nam illa, etſi ad momentū triſtia (dum propter deum, aut quia ab ipſis offenſum, aut in dies à tam multis tam grauiter offen-

ditur,

ditur, aut ad ipſum portando crucem imitandum uoluntarie eliguntur: felicitas, lætitia, & gaudium ſempiternum ſequuntur. Hæc autem momentanea felicia, læta, & iucunda: miſeria perpetua, luctus fletuſq́, & tormentum perpetuum ſequetur. At uoluntarie eligere mundi miſeriam, luctum, ploratum, mœrorem, carnales nequaquam poſſunt: niſi adepto fidei dono, quod ſolum præbet dei uerbū, & doctrinæ euangelicæ theſaurus. Fides CHRISTI ad omnia bona eſt uia. Ego ſum, inquit dominus, uia, ueritas, & uita. Ergo nitantur omnes peccatores quantumcunq; ſint peccatores, adipiſci fidem: & fidem adeptos ab eo qui dat affluenter, & non improperat, qui diues eſt in omnes qui inuocant illum, hæc omnia ſequentur, & in lætitia ſpiritus, ſancti apoſtoli documentum implebūt, imò CHRISTI dei. Quintum: Ioan. 14.

27 Humiliamini in conſpectu dei, & exaltabit uos.] Hoc ad omnes pertinet. Nā ad humilem, & cum timore & tremore tantæ maieſtatis uerba dei ſuſcipientem, reſpicit deus. Et hæc humilitas non ſecundum corpus & exteriora intelligitur, & ſi ea cum oportet non deſit, ſed ſecundum cor & interiorem hominem. Humiles enim corde diligit deus. Diſcite, inquit, à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Alioqui ſi ſola exterior adeſt, hypocriſis eſt. Et quod uere humiles à deo exaltentur, ſcriptum etiam eſt: Qui ſe humiliat, exaltabitur. Et quæ hæc exaltatio, niſi ad uitam ſempiternam, ad regnum & conſpectum regis æterni, ad totius gloriæ cumulum? Et hæc gratia, hæc humilitas, donum à deo neceſſarium eſt, ut ſine hoc dono, neq; iuſtus ad uitæ regnum eleuetur, neq; peccator iuſtificet. Nam & pro ijs qui euehuntur aut iuſtificantur, humilitas etiam CHRISTI, quæ omnem aliam ſuperat & excedit in immenſum, intercedit, in qua tu quantumcunq; ſis humilis: plus confide quàm in tua. Quid dico plus confide? imò ſi uere ſpiritu ageris, prorſus in illa, in tua nihil confide. Verus enim & ſpiritualis chriſtianus, ex ſe nihil, ſed totus ex ſolo deo pendet. Hoc noſſe, dei donum eſt: nec illud quidem exiguum, ſed profunda humilitatis & chariſmatum uia. Sextum: Matth. 11. Matth. 23.

28 Nolite detrahere alterutrum fratres mei. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem ſuum, detrahit legi, & iudicat legem. Si autem iudicas legem, non es factor legis, ſed iudex. Vnus eſt enim legislator & iudex, qui poteſt perdere & liberare. Tu autem quis es, qui iudicas proximum tuum?] Detractores, obloquutores, ſuſurrones, & criminatores aliorū illi ſunt, qui diuina lege prohibentur. Non, inquit, eris criminator aut ſuſurro in populis. Et huiuſmodi obloquutores & detractores, non raro effingunt aut ementiunt crimina, quæ alijs impingunt, aut damnant etiam nonnunquam quæ lex non damnat, in hoc legi detrahentes, quaſi non ſit bona, & eam iudicantes quaſi ſit mala, male uelata. Huiuſmodi detractores nō oportet imitari chriſtianos, & eorum exemplo inficī: ſed longe procul eſſe à detrahendi ſtudio, qui omnia ex fide per charitatem operari debent, cui detractio contraria eſt, & quæ à deo Pſal. 49. condemnantur, dicente: Sedēs aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalū. Hoc feciſti & tacui. Et hi detractatores maxime legis ſunt tranſgreſſores. Nam quomodo legē facerent qui ei detrahunt, qui eam iudicant, quaſi non ſanxerit ſancienda, ſed quæ non ſancienda? Qui etiam (etſi uidetur interdum bonorum operum habere zelū) peſſima ſuperbia laborant, adeo ut dei ſibi officiū uſurpent, adeo temerarij ut de omnibus iudicare auſint, & priuatam ſuoq́ ſenſu conceptam præferre ſententiā, ſiue priuatæ ſint perſonæ, ſiue magiſtratus, ſiue ſancta & ordinata etiam autoritate diuina: cum hæc omnia ad unū deum ſpectent, cuius eſt iudicare, abſoluere, condemnare. Qui etiam dixit: Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Vnus enim eſt legislator & iudex omnium, Luce 6.

qui per leges maxime ſuam iudicat, & per eos quibus publica commiſſa eſt ipſius iudiciaria poteſtas. Et nunquid qui priuate aut publice detrahit, iudicat & cõdemnat fratrem ſuum? Quis ille eſt, cuius autoritate fungitur ut iudicet aut condemnet? Quis illi dedit hanc iudicandi & condemnandi poteſtatem? Omnis igit detractio, obloquutio, ſubſurrium & calumnia omnibus prohibita eſt, & etiam iudicium & cõdemnatio: niſi quibus horum facta eſt publica poteſtas, ſed hæc deo legi, & ijs qui legem adminiſtrant, relinquenda ſunt. Septimum:

29. » Ecce nunc qui dicitis: Hodie, aut craſtino ibimus in illam ciuitatem, & facie-
» mus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus (qui ignoratis quid
» erit in craſtina. Quæ eſt enim uita uestra? Vapor eſt ad modicum parens, & de-
» inceps exterminabitur) pro eo ut dicatis: Si dominus uoluerit, & si uixerimus fa
» ciemus hoc aut illud.] Septimum documentum: Nihil nobis de ijs quæ diuinæ prouidentiæ ſubſunt, temere iudicandum, qualia ſunt futura omnia quæ dei prouidentia & diſpoſitione currunt. Etenim ſi prohibemur iudicare, & temere diffinire de ijs quæ aliorum ſunt hominum: nónne multo magis de ijs quæ ad ſolũ deũ pertinent, & quæ diuinæ ſunt diſpoſitionis? Si quis ita loquit: Ibo illuc, uerbi cauſa, Lugdunum, ubi toto anno mercabor, & lucro facto, in domum reuertar: nónne quod prouidentiæ diuinæ eſt iudicat? Et cum nemo poſſit ſibi polliceri diẽ craſtinum, audet ſibi annos polliceri? Ideo de talibus cum humilitate loquentes, dicamus: Si dominus uoluerit, ſi uitam largietur, aut quippiã ſimile quod planè pietatem & reuerentiam erga uniuerſam illam prouidentiã, quæ deus eſt, redoleat,

Philip. 2. faciemus hoc aut aut illud. Quemadmodum Paulus ad Philippenſes: Confido autem in domino, quoniam & ipſe ueniam ad uos cito. Alioqui timeat temerarius quicunq; prouidentiæ præſumptor, ne cum ſtulto illo præſumptore qui dicebat:

Lucæ 12. Anima mea habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare: hac terribili uoce feriatur: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te. Quanquam & ſpirituales & ſyncere chriſtiani, ſi proponũt quicquam ſe cum dei adiutorio facturos, id ex fide & charitate proponũt. Qualia parum eſſe uidẽt mercari & lucrum facere: quibus etiã ne de craſtino quidem anxie cogitare præceptum eſt. Si tamen quippiam tale moliuntur, charitate mouente, non lucri cupiditate id moliri debent. Octauum:

30. » Nunc autem exultatis in ſuperbijs ueſtris. Omnis exultatio talis maligna eſt.]

1. Corin. 13. Fideles, fidei ſpiritu reguntur & charitate. Charitas autem patiens eſt, benigna eſt: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non gaudet ſuper iniquitate. Octauum ergo hoc documentum, nõ ad fideles, ſed ad uocandos ad fidẽ pertinet, quod eſt: In nullo quidem malo eſſe gloriandum. Quia omnis talis gloriatio, mala eſt. Id enim dæmoniorum eſt & principis eorum qui regnat ſuper filios ſuperbiæ. Et quid in ſuperbijs & erroribus eſſet gloriandum, cum nec in operibus quidem bonis ſit gloriandum, maxime ſi opus ipſum aut nosipſos attendimus, ne opus ipſum uana gloria euacuetur? Sed ſi quis gloriatur (ut ſcriptum eſt)

Hiere 9. & 1. Corint. 1. in domino, id eſt, attento deo qui operandi gratiam præſtat, glorietur. Subditur itaq; aliud documentum, quod fideles reſpicit: cum reuera ſoli fideles ſciant operari bonum. Nonum:

» 31 Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatũ eſt illi.] De ſciẽtia quæ eſt diuinæ legis, & maxime legis gratiæ cognitio ſermo eſt. Per quam qui ſcit bonum facere, cum adeſt occaſio, continenter operandum eſt bonum: alioqui omiſſio illi peccatum eſt, & grande quidem peccatum. Nam talentum domini creditũ

Matth. 25. ad operandum, retinet ocioſum, & fodit pecuniam domini ſui. Et etiam ſcriptum

Lucæ 12. eſt: Seruus qui cognouit uoluntatẽ domini ſui, & non ſe præparauit, & non fecit uoluntatem

uoluntatem eius, plagis uapulabit multis. Et rursus: Omni autem cui multũ datũ est, multum quæretur ab eo. Scientes igitur per gratiam & donum dei tantũ bonum, ne sinamus esse ociosum, sed imitemur naturam summe boni qui se propagat & communicat, qui & est largitor omnis boni, & ei ex donis eius seruientes, laudem demus, & gloriam, & gratiarum actionẽ patri æterno per IESVM CHRISTVM in immensa seculorum secula. Amen.

CAPVT QVINTVM.

32 AGITE nunc diuites, plorate ululantes in [miserijs] uestris quæ adueniẽt uobis. Diuitiæ uestræ putrefactæ sunt, & uestimẽta uestra à tineis comesta sunt. Aurũ & argentum uestrum eruginauit: & erugo eorũ in testimonium uobis erit, & manducabit carnes uestras sicut ignis. Thesaurizastis ➡ uobis irã in nouissimis diebus. Ecce merces operariorum qui messuerũt regiones uestras quæ fraudata est à uobis, clamat: & [clamor] eorum in aures domini sabaoth introiuit. [Epulati estis] super terram, & [in luxurijs] enutristis corda uestra. In die [occisionis] [adduxistis,] & occidistis iustũ:
33 & non restitit uobis. [Patientes igitur estote] fratres usq; ad aduentum domini. Ecce agricola expectat precio sum fructũ terræ, patienter ferẽs donec accipiat [temporaneum] & serotinũ. Patientes igitur estote & uos, & confirmate corda
34 uestra: quoniam aduentus domini [appropinquabit.] Nolite ingemiscere fratres in alterutrum, ut nõ iudicemini. Ecce, iudex ante ianuam
35 assistit. Exemplum accipite fratres† ➡ exitus mali & longanimitatis [& laboris & patientiæ] prophetas, qui loquuti sunt in nomine domini. Ecce, beatificamus eos qui [sustinuerunt. Sufferentiam] Iob audistis, & finem domini uidistis, quoniam [misericors] est dominus et miserator.

Ante omnia autem fratres mei, nolite iurare, neque per cœlum, neq; per terram, neque aliud quodcunq; iuramentum. Sit autem [sermo ue-
36 ster: est, est: non, non:] ut non [sub iudicio] decidatis. [Tristatur] autẽ aliquis uestrum? oret.
37 [Aequo animo? & psallat.]

ANNOT.

afflictionibus, τῶν ταλαιπωρίαις.

clamores, αἱ βοαί.

deliciati estis, ἐτρυφήσατε.

lasciuistis, ἐσπαταλήσατε.

uictimæ, iugulationis, σφαγῆς

addixistis, condemnastis, κατεδικάσατε. longanimes estote, μακροθυμήσατε οὖν, & infra.

pluuiam matutinam, ὑετὸν πρώϊμον.

appropinquauit, ἤγγικε.

mei, μου.

afflictionis et patientiæ, τῆς κακοπαθείας καὶ τῆς μακροθυμίας.

expectant. patientiã, τοὺς ὑπομένοντας. τὴν ὑπομονήν.

multum misericors, πολύσπλαγχνος.

uestrum etiam, etiam: non non: ὑμῶν, τὸ ναὶ, ναὶ, καὶ τὸ οὒ, οὔ.

in simulationẽ, εἰς ὑπόκρισιν.

affligitur, κακοπαθεῖ.

æquo, bono animo est, quis? psallat, εὐθυμεῖ τίς; ψαλλέτω.

qui per leges maxime ſuam iudicat, & per eos quibus publica commiſſa eſt ipſius iudiciaria poteſtas. Et nunquid qui priuate aut publice detrahit, iudicat & cõdemnat fratrem ſuum? Quis ille eſt, cuius autoritate fungitur ut iudicet aut condemnet? Quis illi dedit hanc iudicandi & condemnandi poteſtatem? Omnis igit̃ detractio, obloquutio, ſubſurrium & calumnia omnibus prohibita eſt, & etiam iudicium & cõdemnatio: niſi quibus horum facta eſt publica poteſtas, ſed hæc deo legi, & ijs qui legem adminiſtrant, relinquenda ſunt. Septimum:

29. » Ecce nunc qui dicitis: Hodie, aut craſtino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus (qui ignoratis quid » erit in craſtina. Quæ eſt enim uita ueſtra? Vapor eſt ad modicum parens, & de» inceps exterminabitur) pro eo ut dicatis: Si dominus uoluerit. &: Si uixerimus fa» ciemus hoc aut illud.] Septimum documentum: Nihil nobis de ijs quæ diuinæ prouidentiæ ſubſunt, temere iudicandum, qualia ſunt futura omnia quæ dei prouidentia & diſpoſitione currunt. Etenim ſi prohibemur iudicare, & temere diffinire de ijs quæ aliorum ſunt hominum: nónne multo magis de ijs quæ ad ſolũ deũ pertinent, & quæ diuinæ ſunt diſpoſitionis? Si quis ita loquit̃: Ibo illuc, uerbi cauſa, Lugdunum, ubi toto anno mercabor, & lucro facto, in domum reuertar: nónne quod prouidentiæ diuinæ eſt iudicat? Et cum nemo poſſit ſibi polliceri diẽ craſtinum, audet ſibi annos pollicẽri? Ideo de talibus cum humilitate loquentes, dicamus: Si dominus uoluerit, ſi uitam largietur, aut quippiã ſimile quod planè pietatem & reuerentiam erga uniuerſam illam prouidentiã, quæ deus eſt, redoleat,

Philip. 2. faciemus hoc aut aut illud. Quemadmodum Paulus ad Philippenſes: Confido autem in domino, quoniam & ipſe ueniam ad uos cito. Alioqui timeat temerarius quicunq; prouidentiæ præſumptor, ne cum ſtulto illo præſumptore qui dicebat:

Lucæ 12. Anima mea habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare: hac terribili uoce feriatur: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te. Quanquam & ſpirituales & ſyncere chriſtiani, ſi proponũt quicquam ſe cum dei adiutorio facturos, id ex fide & charitate proponũt. Qualia parum eſſe uidentur mercari & lucrum facere: quibus etiã ne de craſtino quidem anxie cogitare præceptum eſt. Si tamen quippiam tale moliuntur, charitate mouente, non lucri cupiditate id moliri debent. Octauum:

30. » Nunc autem exultatis in ſuperbijs ueſtris. Omnis exultatio talis maligna eſt.]

1. Corin. 13. Fideles, fidei ſpiritu reguntur & charitate. Charitas autem patiens eſt, benigna eſt: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non gaudet ſuper iniquitate. Octauum ergo hoc documentum, nõ ad fideles, ſed ad uocandos ad fidẽ pertinet, quod eſt: In nullo quidem malo eſſe gloriandum. Quia omnis talis gloriatio, mala eſt. Id enim dæmoniorum eſt & principis eorum qui regnat ſuper filios ſuperbiæ. Et quid in ſuperbijs & erroribus eſſet gloriandum, cum nec in operibus quidem bonis ſit gloriandum, maxime ſi opus ipſum aut noſipſos attendimus, ne opus ipſum uana gloria euacuetur? Sed ſi quis gloriatur (ut ſcriptum eſt)

Hiere. 9. & 1. Corint. 1. in domino, id eſt, attento deo qui operandi gratiam præſtat, glorietur. Subditur itaq; aliud documentum, quod fideles reſpicit: cum reuera ſoli fideles ſciant operari bonum. Nonum:

» 31 Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatũ eſt illi.] De ſciẽtia quæ eſt diuinæ legis, & maxime legis gratiæ cognitio ſermo eſt. Per quam qui ſcit bonum facere, cum adeſt occaſio, continenter operandum eſt bonum: alioqui omiſſio illi peccatum eſt, & grande quidem peccatum. Nam talentum domini creditũ

Matth. 25. ad operandum, retinet ocioſum, & fodit pecuniam domini ſui. Et etiam ſcriptum

Lucæ 12. eſt: Seruus qui cognouit uoluntatẽ domini ſui, & non ſe præparauit, & non fecit uoluntatem

uoluntatem eius, plagis uapulabit multis. Et rursus: Omni autem cui multũ datũ est, multum quæretur ab eo. Scientes igitur per gratiam & donum dei tantũ bonum, ne sinamus esse ociosum, sed imitemur naturam summe boni qui se propagat & communicat, qui & est largitor omnis boni, & ei ex donis eius seruientes, laudem demus, & gloriam, & gratiarumactionẽ patri æterno per IESVM CHRISTVM in immensa seculorum secula. Amen.

CAPVT QVINTVM.

32 AGITE nunc diuites, plorate ululantes in [miseriis] uestris quæ aduenient uobis. Diuitiæ uestræ putrefactæ sunt, & uestimẽta uestra à tineis comesta sunt. Aurũ & argentum uestrum eruginauit: & erugo eorũ in testimonium uobis erit, & manducabit carnes uestras sicut ignis. Thesaurizastis ➡ uobis irã in nouissimis diebus. Ecce merces operariorum qui messuerũt regiones uestras quæ fraudata est à uobis, clamat: & [clamor] eorum in aures domini sabaoth introiuit. [Epulati estis] super terram, & [in luxuriis] enutristis corda uestra. In die [occisionis] [adduxistis,] & occidistis iustũ:
33 & non restitit uobis. [Patientes igitur estote] fratres usq; ad aduentum domini. Ecce agricola expectat precio sum fructũ terræ, patienter ferẽs donec accipiat [temporaneum] & serotinũ. Patientes igitur estote & uos, & confirmate corda
34 uestra: quoniam aduentus domini [appropinquabit.] Nolite ingemiscere fratres in alterum,
35 ut nõ iudicemini. Ecce, iudex ante ianuam assistit. Exemplum accipite fratres† ➡ exitus mali & longanimitatis [& laboris & patientiæ] prophetas, qui loquuti sunt in nomine domini. Ecce, beatificamus eos qui [sustinuerunt. Sufferentiam] Iob audistis, & finem domini uidistis, quoniam [misericors] est dominus et miserator.

Ante omnia autem fratres mei, nolite iurare, neque per cœlum, neq; per terram, neque aliud quodcunq; iuramentum. Sit autem [sermo ue-
36 ster: est, est: non, non:] ut non [sub iudicio] decidatis. [Tristatur] autẽ aliquis uestrum? oret.
37 [Aequo animo? & psallat.]

ANNOT.

afflictionibus, τοῖς ταλαιπωρίαις.

clamores, αἱ βοαί.

deliciati estis, ἐτρυφήσατε.

Lasciuistis, ἐσπαταλήσατε.

uictimæ, *iugulationis*, σφαγῆς

addixistis, *condemnastis*, κατεδικάσατε. *longanimes estote*, μακροθυμήσατε οὖν, & *infra*.

pluuiam matutinam, ὑετὸν πρώϊμον.

appropinquauit, ἤγγικε.

mei, μου.

afflictionis et patientiæ, τῆς κακοπαθείας καὶ τῆς μακροθυμίας.

expectant. patientiã, τοὺς ὑπομένοντας. τὴν ὑπομονήν.

multum misericors, πολύσπλαγχνος.

uestrum etiam, etiam: non non: ὑμῶν, τὸ ναὶ, ναί, καὶ τὸ οὒ, οὔ.

in simulationẽ, εἰς ὑπόκρισιν.

affligitur, κακοπαθεῖ.

æquo, bono animo est, quis? psallat, εὐθυμεῖ τίς; ψαλλέτω.

Infirmatur quis in uobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine domini. Et oratio fidei saluabit [infirmum, & alleuiabit] eum dominus: & si [in pecca-
40 tis sit,] remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum [peccata] uestra, & orate pro inuicem ut
41 [saluemini.] Multum enim ualet deprecatio iusti [assidua.] Helias homo erat [similis uobis passibilis,] & oratione orauit ut nō plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex. Et rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra
42 [dedit] fructum suum. Fratres mei, si quis [ex] uobis errauerit à ueritate, & conuerterit quis eū: scire debet quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore uiæ suæ, saluabit animam ➡ eius à morte, & [opperit] multitudinē peccatorum.

ANNOT.

ægrotantē, & eriget, τὸν κάμνοντα, κύριος ἐγερεῖ.

peccata admiserit, ἁμαρτίας ἐπεποιηκώς. delicta, errata, lapsus, παραπτώματα.

sanemini, ἰαθῆτε.

efficax, intus operans, agitāte spiritu, ἐνεργουμένη.

similiter affectibus obnoxium nobis, ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν,

germinauit, protulit, ἐβλάστησε. in, inter, ἐν.

opperiet, καλύψει.

COMMENT. IN CAP. QVINTVM.

SVPERIORIBVS documentis positis, deplorationem facit calamitatis diuitum huius mundi, quorum sors in terris, et nulla in cœlis, gaudium præsentis uitæ momentaneum, & lamētum futuræ mortis perpetuum, quo ipsos ex cōtemplatione futuræ miseriæ, allicíat ad resipiscendū & ad ueras per fidem IESV CHRISTI attrahat diuitias, in cœlo collocatas, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur. & ait:

52 » Agite nunc diuites, plorate, ululantes in miserijs uestris quæ aduenient uobis.
» Diuitiæ uestræ putrefactæ sunt, & uestimenta uestra à tineis comesta sunt. Aurū
» & argentum uestrum ærugināuit, & ærugo eorum in testimonium uobis erit, &
» manducabit carnes uestras sicut ignis. Thesaurizastis uobis ira in nouissimis die-
» bus. Ecce merces operariorum qui messuerūt regiones uestras, quæ fraudata est
» à uobis, clamat, & clamor eorum in aures domini sabaoth introiuit. Epulati estis
» super terram, & in luxurijs enutristis corda uestra. In die occisionis addixistis &
» occidistis iustum, & nō restitit uobis.] Quamuis hæc deploratio omnes huius mundi diuites mouere debet ad terrorem, ne creditis bonis abutentes, supplicīū luant sempiternum: præcipue tamen de diuitibus Iudæis & maioribus eorum, ad quos scribebat Iacobus apostolus, hic habetur sermo: quia eos taxat qui iustum, id est dominum gloriæ morti addixerunt: qui quales fuerint, hic depinxit. Cōgregauerant enim sibi diuitias, quæ nunc putrefactæ sunt. Vestimentis utebantur pretiosis, quæ à tineis & blattis erosa sunt. Cumulauerant aurum & argentum, tum in superfluitate uasorum, tum moneta percussum, quod ærugínis erosit uitiū. Et ærugo illa erit in testimonium insanæ cupiditatis eorum: & augebit supplicium eorum tanquam ignis torrens, torquens & crucians. Quia sibi thesaurizauerunt indignationem diuinam usque in sempiternum. Messores & operarios suos sua mercede fraudarunt: & nunc merces operarijs fraude substracta ab ipsis, uindictam clamat ad dominum, & clamor eius introiuit in aures dei sabaoth, dei exercituum, dei fortitudinum atque omnipotentis, & exauditus est ad uindictam & augmentum supplicij eorum. Deliciabantur super terram, luxuriabantur, & in

& in delicijs ſeculi nutriebãt corda ſua: nunc torquẽtur, triſtanť, & in hoc ſumme miſeri quod in morte, mortis finem non inueniunt. Et ad cumulum malorum, in die uictimæ, paraſceues magni ſabbati, in die paſchæ, iuſtum regem gloriæ, Meſiah ſuum morti addixerunt, condemnauerunt & occiderunt. Qui pro manſuetudine ſua non reſtitit eis, qui poterat in momento, uno uerbo omnes perdere. Sed ſicut prædixerat propheta: Tanquam ouis ad occiſionẽ ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum. Eſa. 53.

O mundi diuites, qui propter caducas diuitias obliuiſcimini fidem & diuitias æternas, reſipiſcite. Illi aſſimilemini, nec uelitis in hoc mundo diuites fieri: ſed potius eligentes paupertatẽ ſpiritus, ſiue mundanæ fortunæ adſint, ſiue deſint, ſuſpiretis ad futuras diuitias, quæ ſpiritualibus promittũtur. Nec longa expectatione in hoc deſiderio tabeſcat animus, quæ etiam nulla lõga uideri debet: cum omne tempus ſit punctũ ad id quod eſt æternum. Quapropter ad quaſdam exhortationes & admonitiones Iacobus apoſtolus tranſit: quæ magis ad pauperes ſpiritu & uerè fideles, quàm ad miſeros diuites quam diu tales ſunt ſpectant, Quarum prima eſt de longanimitate: & eſt huiuſmodi:

7 Patientes igitur eſtote fratres uſq; ad aduentum domini. Ecce agricola expectat precioſum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & ſerotinum. Patientes igitur eſtote & uos: & confirmate corda ueſtra, quoniã aduentus domini appropinquauit.] μακροθυμία, id eſt longanimitas, de qua hic loquitur Iacobus, eſt longa expectatio animi cum patientia promiſſionum CHRISTI, quæ nulla mora frangitur, nulla afflictione emolitur, nulla impatiẽtia remittitur, quin potius indies firmať & inualeſcit: quia indies magis atq; magis appropinquamus ad id, quod (ſi ſpiritu Chriſti ducimur) deſideramus. Et quid à uere chriſtiano deſideratur? Eſſe cum CHRISTO, qui eſt æternũ bonũ, et omne bonũ: cuius aduentus indies propinquior, & qui indies cum gratia eius ſi uolumus (etſi occultus & uelatus) aduenit nobis ſacramentaliter, id eſt, ſub ſacramentali ſigno in ueritate ſumendus. Et parum eſt indies ipſum ſacramẽtaliter uidere: niſi ſpiritu & fide uideatur. Et conſummatio hæc eſt ſi ſic ſumatur, ſiquidẽ non dixit: Videte hoc, ſed, accipite. At cum primum huius mortalis uitæ limen egredimur, nobis aduenit apertus, reuelatus: & (ut ſic dicam) facie ad faciem conſpicuus. Tunc (inquit Paulus) cognoſcã ſicut & cognitus ſum. Tunc metemus æterna bona, quorum ſimulacra in fide, ſpe & charitate tanquam floſculi quidem, præceſſerunt bona opera. Nunquid decet nos minus eſſe lõganimes & patientes in expectatione incomprehenſibilium & ineffabilium bonorum, quàm agricolam terrenorũ, qui patienter expectat precioſum fructum terræ, neq; mora tabeſcit animo, ſed æquo animo patienterq; fert, donec accipiat imbrem matutinum & ueſpertinum? Nequaquam: quanto cœleſtia & æterna bona præſtantiora ſunt terrenis & momentaneis. Confirmemus ergo adiuti ſpiritu, ſpiritu gratiæ, ſpiritu CHRISTI, corda noſtra longanimitate & patientia: quia reuera CHRISTVS dominus pro foribus aſtat. Sed qui longanimes ſunt, qui & finem laborum, quæ eſt merces gratiæ dei & miſericordiæ, deſiderant, nequaquam ingemiſcere debent in alios qui præripiuntur, & citius ad finem laborum, et ad mercedem gratiæ infinitæ bonitatis dei euocanť. Ideo ſecundã admonitionẽ diuinus præco adducit Iacobus apoſtolus. 1. Corint. 13.

34 Nolite ingemiſcere fratres in alterutrum, ut non iudicemini. Ecce, iudex ante ianuam aſſiſtit.] Qui ingemiſcunt inuicẽ ob uarias mundi preſſuras, perſequutiones, afflictiones, anguſtias, ærumnas: denicq; mortes quæ etiam piis euenire ſolent: propemodum contra deum murmurant, & incidunt, ut filij Iſraël in deſerto in iudicium dei, & tanto magis ſi in eos qui ad portũ uitæ citius ſuſcipiuntur inge

miſcerent. Quandoquidē iudex non longe eſt: ſed cominus & pro foribus aſtat, nos cum ipſis recepturus. Et quia id quodammodo illorum felicitati inuidere eſſet: perinde ac ſi agricola in alterum ingemiſceret quod præcociorem deus illi deditſſet frugem, priorq; meteret, nónne quodam modo illi inuideret? In bonis igit nō eſt inuicē ingemiſcendū: ſed cū mala potius obueniunt, quæ ſecū diuinam trahunt offenſam: & quanto maiorē & inſigniorē, tanto quoq; magis ingemiſcēdū. Quod bifariā contingere poteſt. Primo, ex charitate, ratione eius qui offenditur. Secūdo, ratione eius qui offendit ob dei offenſam (nō aūt quia bona aut boni præripiunt) & hoc magis ſolitariū & apud ſe eſt ingemiſcere, quàm ob infortunia & aduerſa inuicē & inter ſeſe ingemiſcere. Nā hoc modo ingemiſcere, non eſt uere patientū & longanimorū, qui omnia ſiue proſpera ſiue aduerſa cum gaudio ſuſcipiūt, tanquā de manu dei nec quicquā aliud attendūt quàm deū, neq; eos quicquā cōtriſtat, niſi ſola dei offenſa et peccatum. Sic certe imitari oportet longanimitatē & patientiā prophetarum, & ipſius Iob, qui omnes dura & aduerſa paſſi ſunt, & maxime omniū patientiam CHRISTI, cuius plurimi eorū ad quos ſcribebat Iacobus apoſtolus finem afflictionis & laboris, & exemplaris patientiæ pleniſſime uiderant. Tertiam ergo ipſe adiungit admonitionem, exemplum uidelicet maiorum, & maxime CHRISTI eſſe attendendum, dicens:

35 » Exemplum accipite fratres exitus mali, & longanimitatis, & laboris, & patien
» tiæ prophetas, qui loquuti ſunt in nomine domini. Ecce, beatificamus eos qui ſu
» ſtinuerunt. Sufferentiam Iob audiſtis, & finem domini uidiſtis: quoniam miſeri
» cors eſt dominus & miſerator.] Omnes qui uere patienter quaſcunq; tribulationes, afflictiones, & pœnas ſuſtinent, uoluntarie & cum gaudio ſpiritus expectantes uſq; ad finē, dicimus beatos. Et quanto magis ſuſtinent, tanto magis beatos: quia multum miſericors eſt dominus, qui eos in miſericordia & miſerationibus coronat, & uitam pro tribulationum ſufferentia uitæ exiguæ durationis, tri- 37»
Matth. 5. buit ſempiternā. Beati eſtis (inquit dominus) cum maledixerint uobis homines, & perſequuti uos fuerint, & dixerint omne malū aduerſum uos, mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces ueſtra copioſa eſt in cœlis. Sic em perſequuti ſunt prophetas qui fuerūt ante uos. Deinde mandati domini quod ad familiarem & quotidianam maxime loquutionem pertinet: memores facit eos ad quos ſcribit Iacobus, & per eos nos omnes. Et hæc eſt quarta admonitio:

36 » Ante omnia autem fratres mei, nolite iurare, neq; per cœlum, neq; per terram,
» neq; aliud quodcunq; iuramentū. Sit autem ſermo ueſter, eſt, eſt: non, non, ut non
Ibidem. ſub iudicio decidatis.] Dominus apud Matthæum: Audiſtis (inquit) quia dictū eſt antiquis: Non periurabis, reddes autem domino iuramenta tua. Ego aūt dico uobis non iurare omnino, neq; per cœlum: quia thronus dei eſt, neq; per terram: quia ſcabellum eſt pedum eius: neque per Hieroſolymam, quia ciuitas eſt magni regis: neq; per caput tuum iuraueris, quia nō potes unum capillum album facere aut nigrum. In priuatis negocijs nō modo turpe, ſed peccatum eſt miſcere quodcunq; iuramentum. Quandoquidem uiro chriſtiano à deo prohibitū eſt, etſi omnes ſpirituales eſſemus, & pure chriſtiani, publicis etiā iudicijs non egeremus ad publica præſtanda iuramenta, dicente Paulo: Iam quidem omnino delictū eſt in 38
uobis, quod iudicia habetis inter uos. Etſi Iudæis olim id eſſet permiſſum, etiam extra iudicium, modo non peierarent nomē domini. Sic iurauit Dauid Aegyptio ſeruo Amalechitarum, qui eum perduxit ad cuneum hoſtium. 1. Reg. xx. Et ſi nobis non licet iurare per terram, quia ſcabellum pedum domini eſt: multo minus licet admiſcere iuramento corpus domini, quia templum totius diuinitatis eſt. Tales uix putauerim eſſe chriſtianos, ſed ne quidem, niſi diſſueſcant, niſi reſipiſcant

uere

uere posse dici. Si nō per caput nostrum, quia nec ullius quidem capilli habemus potestatem, tanto minus per nostræ redemptionis precium sanguinē CHRISTI, quam siquidem redemptionē solus deus hōmo, diuino suo secreto facere potuit. O cp tales procul sunt à uero christianismo, à doctrina euangelica, quæ sola facit uere modestos, & spiritu CHRISTI plenos, secundum quam sermo noster sit, ναὶ ναί, οὐχὶ οὔ, οὔ, id est, affirmantibus sit hoc, etiam, etiam: abnuentibus autem, non, non. Et uis scire, cum aliud adijcitur, ut dei nomen, aut alicuius uirtutis eius, aut aliquod opus eius, ut cœlum, ut corpus, ut sanguis, unde adijcitur? A diabolo qui semper contra ordinationem & uoluntatem diuinā inducit homines, & maxime qui secundum carnem ambulant, qui fidem, qui spiritum dei nesciūt, & quantumcunq; etiam potest enormiter, dicente domino: Quod amplius est, à maligno est. Et nō sine causa dixisse uidetur apostolus: Ante omnia, ut innuat hūc loquendi modum maxime deo displicentem, ex quo iudicium & condemnationē incurrunt qui eiusmodi sunt. Nec ab re, nam cōuenit magis spiritui blasphemiæ, id est magis spiritui immundo, quàm hominibus: ut & iam aperte in quibusdā energumenis uisum est. Et ideo homines qui sic blasphemant, & execrabiliter deierant, diabolo ac spiritui blasphemiæ, aut ijs qui iam ab eo occupati sunt se conformes reddūt. Et adeo enormia sunt quæ plericp perditorum hominum blasphemāt, & enormiter euomunt: ut omnino tam execrabilem repræsentandi horrorē omnis charta refugiat. Et id opto, ut bonus sermonis odor FRANCISCI hoc nomine primi, hac nostra tempestate Francorum regis, ad posteros omneis transeat nobiles & subditos, & etiam ad exteros, qui à iuramento omnicp inhonesto uerbo modestissime abstinet, & in hoc regiū specimen decorumcp exibet, quod nimirum decet christianissimum regem. Sed nunc ad quintam transeamus monitionem: *Matth. 5.*

17. Tristatur autē aliquis uestrum: oret.] Cum affligimur, cum molestamur animo, cum tristitia cor angitur, non tam cum ab externis & manifestis causis id prouenit, cui opponenda patientia, quàm cum ab internis & latentibus, ut substractione gratiæ, aut tentatione, iuxta apostoli dei monitionem, huic tristitiæ oratio est opponēda, ne acedia illa uicti, penitior pateat maligno ingressus. Exemplum habemus dominum, qui ad mortē usq; tristis in orto orauit: & iussit ut tristes apostoli orarent ne intrarent in tentationem. Quia ut uicino lupo terretur ouis, tristatur & angitur, & nescit unde id sit: imò & absentia pastoris terretur, etsi non adsit lupus: sic uicina maligni præsentia terremur, tristamur, & angimur animo, & unde id sit nescimus, & etiā gratiæ fauoriscp diuini absentia. Ac oratio conuertit nos ad pastorem, cuius beneficio lupus ille effugatur, & serenitas, alacritas, & solita lætitia menti redit: substracta etiam gratia reparatur. Quæ certe non tam substrahitur quàm occultatur: ut pia mater non tam à filio se substrahit quàm occultat, ut à paruulo attonito requiratur. Et maxime omniū tunc caueamus animo uolutare nostros cogitatus, & deorsum aspicere: sed iugiter sursum ad eum qui nouit & potest à tali tristitia eripere, quia tunc nobiscū sumus, id est, nobisipsis relicti, necp ex nobis possumus arcere lupum, aut gratiæ sentire præsentiam, sed magis inde cacopathiam & afflictionem illā maligni sustinemus & angimur. Sexta monitio:

38. Aequo animo est? psallat.] Cum quispiam nulla anxietate animi premitur, sed læta, serena, & alacri est mente, psalmos diuinasq; laudes, beneficiorum confessiones, gratiarumactiones deo spiritu & mente psallat. Psallam, inquit apostolus spiritu, psallam & mente: hoc est, lætantium spiritualium, & eorum qui æquo alacricp sunt animo, opus. Psallere nanq;, est letæ mentis opus. Etsi laudes & cantus cordis in spiritu sint præcipui, Cantantes (ait Paulus) & psallētes in cordibus uestris domino; nō tamen lætis uoce & externo cantu diuinas depromere laudes *1. Corint. 14.* *Ephes. 5.*

prohiberi putauerim, aut muſicis inſtrumentis ſpiritualem lætitiam hymnidicis melis inſinuare, qui hoc munus habent, ut olim Dauid & prophetæ, dum ſenſuũ, non præſertim quærant oblectamen, ſed ſolius mentis ad deum eleuationem, & in ſolo deo ſolamen, etſi ſenſus ſuo oblectamine non fraudent. Septima monitio:

39 » Infirmatur quis in uobis? inducat presbyteros eccleſiæ, & orent ſuper eum,
» ungentes eum oleo in nomine domini. Et oratio fidei ſaluabit infirmum, & alle-
» uiabit eum dominus. Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei.] Admonuit quid mœſtis & animo afflictis, quid lætis fidelibus faciendum: nunc quid corpore male affectis maleq; ualentibus faciendum ſit, etiam docet, ut ſcilicet presbyteros, id eſt ſeniores eccleſiæ euocent qui pro ſe orent, & ſpirituali oleo, id eſt dei miſericordia primũ conſolentur & leniant, neq; corporale oleum in ſignum ſpiritualis unctionis fidentibus in miſericordia dei adhiberi prohibet, imò monet ſequẽdo certe priorem apoſtolorum ritum, quem Marcus de apoſtolis loquens, deſcribit di-
Marci 6. cens: Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent, et dæmonia multa eiĩciebant, & ungebant oleo multos ægros, & ſanabantur. Et hoc adhuc arbitror fiebat illa tempeſtate: qua fidei feruor permanebat & deuotio ſpiritus. Et ex unctione illa, infirmitatis ſuæ leuamẽ & alleuiationẽ, ſæpe fide et perfecta in CHRISTO fiducia, qui ſanat omnes languores noſtros, & cuius nomen eſt oleũ effuſum, ſentiebant qui ægrotabãt, & oratio fidei multos ſanitati reſtituebat, ſi peccatis etiam tenebantur aſtricti: fides & orantium & infirmorum apud dei clementiam remiſſionem obtinebat peccatorum. Nunc autem quàm paucæ ſint fidei oſtẽdunt infirmi: qui quàm poſſunt tardiſſime, aut nunquam aduocant ſeniores eccleſiæ ad conſilium & conſolationem animæ ad fidem roborandam contra malignorũ inſultus, qui inualeſcentibus morbis, maxime inſurgere ſolent. Sed ubi deſperatur de præſentis uitæ ſalute: tunc loco ſeniorum eccleſiæ, quos intelligit apoſtolus uiros plenos ſpiritu & fide, uerbum dei & ſalutis euangelium pure annunciantes, aduocantur presbyteri qualeſcunq; (ſic eĩm uocant eos qui ſacramẽta miniſtrant) & tunc etiam inunguntur protinus morituri, & nihil prorſus fit eorum aut perparum quæ monet hic apoſtolus. Et adeo etiam corpore ſani, ægrotant ſpiritu, ut nihil adeo horreãt, quàm medicos ſpiritus, & multo magis cum ægrotant. Et hoc quia amant uitam carnis: de ea autem quæ ſpiritus eſt, & quæ aut in delicijs indeficientibus aut ſupplicijs manet æterna, nihil aut parum curant. Sic ſtultorum & nunc pure carnalium mentes, inſania uerſat. O tempora: O mores. Qui miſericors eſt & diues in omnes, nunc mundum ſua miſericordia, ad ſpiritum innouet, & ad fidei & doctrinæ euangelicæ gratiam. Octaua monitio:

40 » Confitemini ergo alterutrum peccata ueſtra, & orate pro inuicem, ut ſaluemini.] Omnes habemus peccata, ſiue fideles ſimus, ſiue infideles (Nam dicente
» Ioanne: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, &
1. Ioan. 1. ueritas in nobis non eſt) Hoc tamen intereſt, quod infidelibus peccata ſemper imputantur, fidelibus autem dominante fide & ſpiritu nõ imputantur. Secus autem non dominante fide & gratia, ſed carnis infirmitate, peccato & concupiſcẽtia interdũ prævalente. Tales enim fideles infirmi ſunt. Et fideles omnes ſiue firmi ſint, ſiue infirmi, debent inuicẽ ſe fateri peccatores, & egere miſericordia dei, & orare pro inuicem ut ſalutem per eum qui eſt omnium ſalus, IESVM CHRISTVM, & ab eo conſequantur qui omnium operatus eſt ſalutem. Qui hoc ipſum credunt, et in hoc pleniſſime confidunt, debent pro ſe inuicẽ orare, & omnibus: ut qui firmi ſunt fide nunquam excidãt, nunquam carne aut aliqua ulla mala poteſtate uincantur: qui infirmi, ut ad fidei ſpiritum & gratiam reſurgant: qui infideles, ut à diaboli laqueis reſipiſcant, & ad gratiam fidei conuertantur, ut cum fidelibus laudẽt

& glo-

& glorificẽt autorem fidei & uitæ, dominũ nostrũ IESVM CHRISTVM, qui eos & omnes fideles à morte liberauit, & in uitam asseruit æternam. Fiebat etiã olim inuicem mutua offensarum confessio, & fraterna reconciliatio, sequendo euangelicam doctrinam, mandante domino, ut prius reconciliemur fratri, quàm nos nostráue deo præsentemus. Vade, inquit, prius reconciliari fratri tuo, & tunc ueniẽs offeres munus tuum. Et alibi: Si peccauerit in te frater tuus, increpa illũ, & si pœnitentiã egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicẽs: Pœnitet me, dimitte illi. O magna miseratio dei, si dimittis fratri in fide uerbi dei, & in fide petit, dimissum est illi. Hoc enim opus fidei & charitatis esse oportet. Et talis olim erat inter fideles confessio. Nunc autem remissa fide, aut prorsus in plurimis extincta, quam CHRISTVS IESVS per suũ uerbum & suum spiritum exuscitet, est alius confessionis peccatorum modus, quem etiam misericordia sua acceptet, & parum nunc fit aut quod hic Iacobus monet, aut quod CHRISTVS ipse præcipit. Et certum est quod olim in antiqua lege confessio peccatorum deo fiebat ad legis iustificationem, dicẽte domino: Duo homines ascendebant in templum ut orarent, unus pharisæus, & alter publicanus. Et subditur: Et publicanus à longe stans, nolebat nec oculos ad cœlũ leuare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Quid hæc signant: Percutiebat pectus suum, &: Deus propitius esto mihi peccatori, nisi reatus confessionem: Et parabola de filio prodigo. Pater peccaui in cœlum et coram te, iam non sum dignus uocari filius tuus. Et Azarias apud Danielem, manifestã deo confessionem facit, dicens: Peccauimus enim, & inique egimus recedentes à te: deliquimus in omnibus, & præcepta tua nõ audiuimus nec obseruauimus, nec fecimus sicut præceperas nobis, ut bene nobis esset. Et Esdras deo confitetur peccata pro populo. Noua lex addidit etiam adinuicẽ et ad fratrem confiteri peccata. Verum nisi primum confitearis deo (quandoquidem in fide esse debet, fides autẽ respicit deum & uerbum eius) arbitror huiusmodi ad hominem cõfessionem, siue ut olim, siue ut nunc fit, parum ualituram. Ergo qui confitetur peccata, præsertim intendat deo confiteri. Vnde fit, ut duplex in sacris literis inueniat confessio. Prima: Confiteamur corde deo cum Azaria, Esdra, Publicano, & filio prodigo. Secunda: Confiteamur peccata adinuicem, & offensum fratrem pariter & offendentem nobis reconciliemus. Et in signum reconciliationis oremus pro inuicem. In locum secundæ (ut dictum iam est) modus ille confitendorum peccatorũ qui nũc est successit, qui exerceri solitus est, cum (ut uerisimile est) homines plurimum à fide lapsi, adinuicẽ offendentes & offensi, more prisco non facerent confessiones. Vtinam sic in fide & charitate adinuicem uiueremus, ut hæc ad deum sufficeret quotidiana confessio: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Benedictus deus in cuius fide, beneficio & satisfactione CHRISTI nobis remittuntur peccata. Nona monitio:

Matth. 5. Luce 17. Luce 18. Luce 15. Daniel. 3. Matth. 6.

41 Multũ enim ualet deprecatio iusti assidua. Helias homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit ut nõ plueret super terrã, & non pluit annos tres & menses sex. Et rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum.

Spiritualis hominis est, ex secreta inspiratione spiritu & ex corde orare. Et hæc oratio (ut sic dicã) intus operans siue intus acta fortis, & admodũ ualida et efficax est. Quod exẽplo Heliæ monstrat apostolus Iacobus, quod scribitur 3. Regũ 17. Potest etiam exemplo esse Moses, orans contra bellantẽ Amalech, & eleuans manus, signum CHRISTI in ligno extẽsi, in quo uictus est is, cuius figura erat Amalech. Potest & Petrus è uinculis & claustris carceris eductus. Oratio autẽ, inquit, sine intermissione fiebat ab ecclesia ad deum pro ipso. Sed nũquid iustorum solũ

Exod. 17. Act. 12.

est orare? Nequaquam: etsi maxime cum aguntur, fortes sunt, & admodum efficaces orationes. Neq; etiam si exaudiendus non es, cessare debes ab oratione: nam oratio debetur domino & à digno, & indigno. Orauit publicanus, & exauditus est. Et quomodo etiam prius dixisset Iacobus: Orate pro inuicem, ὅπως ἰαθῆτε, ut sanemini: si solum iustorũ esset orare deum, & nõ etiam peccatorum qui infirmi sunt, & egent spirituali sanitate? Licet enim indignus sis qui preces fundas: ille tamen dignus est quem omnis creatura precetur. Et dæmones precati sunt apud Marcũ, & aliquatenus à domino exauditi sunt. Non ergo indignitatẽ tuam, non teipsum: sed illius dignitatem, sed ipsum attende. Et te quantum potes imò quantum dat tibi gratiæ (nam nihil ex te sine gratia potes) teipsum precando humilia. Et quicunq; sis, deum precare. Et etiam si potes, non ex te, sed ex deo deprecare, mẽte spiritu dei acta. Hoc em δέησις ἐνεργουμένη designare uidet, ut tum nihil agas, sed agaris, ut Elias, ut Eliseus, & prophetæ, & apostoli. Sed hoc fortasse rarũ dei munus est. Decima monitio:

42 » Fratres mei, si quis ex uobis errauerit à ueritate, & conuerterit quis eum: scire
» debet quoniam qui cõuerti fecerit peccatorem ab errore uiæ suæ, saluabit animã
» eius à morte, & operit multitudinem peccatorum.] Quamplurimis modis à ueritate errare possumus: sed maxime si à fide desciscimus, aut ab euangelicæ doctrinæ puritate. In qua re magnopere nitendum est, in fide & charitate fratrem liberare ab errore, quem si liberas, & ad uiam uitæ reducis, id est, gratia dei in te: non solum illum liberas, & animã eius à peccatis, à morte saluas, id est salutis causa es, sed & tuam, & opperis multitudinẽ peccatorũ. Quid enim ex nobis ipsis sumus, nisi ingens pelagus peccatorum? Sic enim hoc charitatis opus in fratrem deo est acceptum. Quod quidẽ tam sanctæ & tam è deo acceptæ charitatis munus & officium, & nobis in alios, & alijs in nos largiri dignetur CHRISTVS dominus, totius charitatis largitor & infusor, inhabitator, & in nobis operator. Cui cum æterno patre & spiritu sancto omnis honor, gloria, & gratiarum actio in sempiterna secula. Amen.

COMMENTARII IN EPISTOLAM IACOBI CAtholicam, ad dei gloriam & honorem, finis.

EPISTOLA BEATI
PETRI APOSTOLI PRIMA.

CAPVT PRIMVM.

1 PEtrus apostolus IESV CHRISTI, electis [aduenis] dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ, secũdũ [præscientiam] dei patris [in sanctificationem] spiritus, in obedientiam & aspersionem sanguinis IESV CHRISTI, gra-
2 tia uobis & pax multiplicetur. Benedictus deus & pater domini nostri IESV CHRISTI, qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in

ANNOT.

Peregrinis, incolis, παρεπιδήμοις.

Prænotionẽ, προγνώσει.

in sanctificatione, per, ἐν ἁγιασμῷ.

nos in ſpem uiuam per reſurrectionem IESV CHRISTI ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam, & immarceſſibilem, conſeruatam in cœlis [in uobis,] qui in [uirtute] dei cuſtodimini per fidem in ſalutem paratam reuelari
3 in tempore nouiſſimo. In quo [exultabitis] modicum nunc ſi oportet contriſtari in uariis tentationibus: ut probatio ueſtræ fidei multo precioſior auro † quod per ignem probatur, inueniatur in laudem, & gloriam, & honorē in reuelatione IESV CHRISTI, quem cum non uideritis diligitis, in quē nunc quoq; non uidentes creditis, credentes autem [exultabitis lætitia] inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei ueſtræ ſalutem animarum ueſtrarū. De qua ſalute exquiſierūt atq; ſcrutati ſunt prophetæ, qui de ► futura [in uobis] gratia prophetauerunt, ſcrutantes in quod uel quale tempus ſignificaret [in eis] ſpiritus CHRISTI, [prænuncians] eas quæ in CHRISTO ſunt paſſiones, & [poſteriores glorias,] quibus reuelatū eſt quia non ſibimetipſis, [uobis] autem miniſtrabant ea quæ nunc nunciata ſunt uobis per eos qui euangelizauerunt uobis † ſpiritu ſancto miſſo de cœlo, [in quem] deſiderant angeli proſpicere. Propter quod ſuccincti lumbos
4 mētis ueſtræ, ſobrij, [perfecti,] ſperate in eam quæ offertur uobis gratiam [in reuelationem] IESV CHRISTI, [quaſi] filij obedientiæ non configurati prioribus ignorantiæ ueſtræ [deſiderijs:] ſed ſecundum eum qui uocauit uos ſanctū, ut & ipſi in omni conuerſatione ſancti ſitis, quoniam ſcriptū eſt: San-
5 cti eritis, quoniam ego ſanctus ſum. Et ſi patrem inuocatis eum qui ſine acceptione perſonarum iudicat ſecundum unuſcuiuſq; opus, in timore, incola-
6 tus ueſtri tempore cōuerſamini. Sciētes quod nō corruptilibus auro uel argēto redēpti eſtis de uana ueſtra cōuerſatione [paternæ traditionis,] ſed precioſo ſanguine quaſi agni immaculati CHRISTI et incōtaminati, præcogniti quidem ante mundi conſtitutionem, manifeſtati autem nouiſſimis temporibus propter uos qui per ipſum [fideles eſtis in deo] qui ſuſcitauit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut

pro uobis, ad uos, εἰς ὑμᾶς
potentia, δυνάμει.
exultatis, ἀγαλλιᾶσθε,
†*quod perit, et,* τοῦ ἀπολλυμένου,
exultatis gaudio, ἀγαλλιᾶσθε χαρᾷ.
in uos, ad uos, εἰς ὑμᾶς.
q̄ erat in eis, τὸ ἐν αὐτοῖς.
proteſtans, præteſtificans, προμαρτυρόμενον.
quæ poſt has eſſent gloriæ, τὰς μετὰ ταῦτα δόξας.
uobis, ἡμῖν. † *in, per,* ἐν.
in quæ, εἰς ἃ.
perfecte, τελείως.
in reuelatione, per, ἐν ἀποκαλύψει. *ὡς tanquam.*
cōcupiſcētijs, ἐπιθυμίαις
à patribus tradita, πατροπαραδότου.
creditis in deum. πιστεύοντας εἰς θεόν.

7 fides uestra & spes esset in deo. [Animas uestras castificantes in obedientia charitatis,] in fraternitatis amore † [simplici] ex corde inuicē diligite [attentius:] renati nō ex semine corruptibili, sed incorruptibili per uerbum dei [uiui & permanentis] in æternum. Quia omnis caro, ut [fœnum,] & omnis gloria eius tanquā flos fœni. Exaruit fœnum, & flos eius decidit. Verbum autē domini manet in æternum. Hoc est autem uerbum quod euangelizatum est [in uos.]

Animabus uestris purificatis in obedientia ueritatis † per spiritum, τὰς ψυχὰς ὑμῶν ἡγνικότες ἐν τῇ ὑπακοῇ τῆς ἀληθείας διὰ πνεύματος. *† sine simulatiōe,* ἀνυπόκριτον *puro,* καθαρᾶς. *propensius, intensius,* ἐκτενῶς. *uiuum & permanens anceps, sed rectius sic, propter sequentia, ut referatur ad uerbum. gramen,* χόρτος, *& infra. ad uos, uobis,* εἰς ὑμᾶς.

COMMENTARIVS IN PRIMVM CAP.

PETRVS apostolus aduenas & peregrinos fideles tam ex Iudæis, quod per id intelligitur, citra finem primi capitis huius, scientes quod nō corruptibilibus auro uel argento redempti estis de uana uestra conuersatione paternæ traditionis, quæ nimirū intelligenda est lex Moysi & patrum, quàm ex gentibus, per id cap. secundo: Qui aliquando non populus dei, nunc autem populus dei, qui non consequuti misericordiam, nunc autem misericordiam consequuti. Qui sparsim habitabāt Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam & Bithyniam.
Act. 2. de quibus in actis apostolorum legitur. Erant autem Hierosolymis habitantes Iudæi, uiri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est. Et subditur: Parthi, et Medi, & Elamitæ, & qui habitāt Mesopotamiam, Iudæā, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Aegyptū, & partes Libyæ. Et subinde peracto sermone Petri, adiungitur: Et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. Ergo incolas illarum regionum hoc pacto sancte salutat Petrus:

1 Petrus apostolus IESV CHRISTI electis aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithyniæ secūdum præscientiā dei patris in sanctificationē spiritus, in obedientiam & aspersionē sanguinis IESV CHRISTI: gratia uobis & pax multiplicetur.] Gratiam quæ desuper est, iustitiam fidei, & pacem illam scilicet quæ exuperat omnem sensum, quæ est securitas remissionis peccatorum, salutis & hæreditatis æternæ in CHRISTO & per CHRISTVM (hæc enim præstat firma fides in ipsum) illis optat per patrem, per filium, per spiritum sanctum. Per patrem, qui sua uoluntate elegit eos in prægnotione et præfinitione æterna: ut intelligant non sua uoluntate, non sua scientia ad CHRISTVM uenisse, ad quem ne-
Ioan. 6. mo uenit nisi pater traxerit illum, etsi sua ipsorum tractui obedierit uoluntas. Per spiritum sanctum, qui sanctificauit eos, ne putent sanctificationem suam esse humanam, & operibus legis eis obuenisse. Per filium, qui aspersit eos sanguine suo (cuius baptismus est signaculum) qui sanguine testamenti æterni abluit peccata eorum, & redemit redemptione æterna ad obediētiam fidei, ut pure, sancte, & in spiritu obediāt legi CHRISTI, sancto dei euangelio: quandoquidē ad hoc ipsum nouam & spiritualem in filio dei, imò in patre, in filio, & in spiritu sancto adepti sunt regenerationē. Pro qua re Petrus apostolus magnificas deo gratias agit, erigens spem eorum ad præmia uitæ cœlestis ac æternæ, dicens:

2 Benedictus deus & pater domini nostri IESV CHRISTI, qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem uiuā per resurrectionem IESV CHRISTI ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam & inmarcessibilem

marcessibilem, conseruatam in cœlis in uobis, qui in uirtute dei custodimini per fidem, in salutem paratam reuelari in tempore nouissimo.] Hæc regeneratio secunda natiuitas nostra est in filios dei (Nam ex deo patre, & filio, & spiritu sancto nascimur) sine qua serui manemus, & ad hæreditatem summi patris, hæreditatem regni cœlestis, hæreditatem æternæ uitæ nunquam peruenire ualemus. Non enim seruus manet in domo in æternum. Sed qui per eum et in eo uere sunt liberi, quos per secundam natiuitatē filius à peccati seruitute diaboli & inferni liberat, & in libertatem filiorum dei adserit. O quàm benedictus summus pater, quot & quantæ gratiæ illi agendæ, ac infinitæ bonitatis suæ cogitatione, quod per magnam, imò incomprehensibilem & immensam misericordiam suam regenerari nos uoluit in spem uiuam, non tepidam, non frigidam, non mortuam quæ non est spes, sed calentem & feruētem charitate, & per utriusq; dilectionis opus maxime uiuam atq; efficacem, quæ spe, per fidem & spiritum CHRISTI, certo speramus, atq; securi sumus nos possessuros hæreditatem uitæ immortalis, cohæreditatem incorruptibilem, incontaminatam et immaculatam, immarcessibilem, semper uigentem & uirentem: quæ cōseruatur nobis in cœlis. Nec hanc aliter speramus, quàm per resurrectionē IESV CHRISTI à mortuis, hoc est, ideo quia ipse resurrexit, præmissus à patre, ceu certissimum & uerissimum pignus nostræ ad illam hæreditatē resurrectionis, glorioso corpore & anima resumptis ac hypostaticôs counitis, quæ uerissime complebit in nouissimo die. Id opera nostra, id bonitas nostra non fecit, sed immensa dei patris misericordia. Ad hanc uitam & plus quàm beatam salutem non nostra uirtus custodit nos: sed sola uirtus dei plus quàm summe boni per fidem, ut illum solum attēdamus, & ex illo pendeamus, illi iugiter in totis cordibus nostris per gratiam quidem sui spiritus gratias agamus, & omnia illi accepta referamus. Et huius etiā rei cognitio dū hic ad breue tempus uaria patimur, debet nobis esse magna, imò maxima consolationis occasio, quod subiungit Petrus hoc pacto: Ioan. 8.

3 In quo exultabitis modicum nunc si oportet cōtristari in uarijs tentationibus, ut probatio uestræ fidei multo pretiosior auro quod per ignē probatur, inueniat in laudem & gloriam & honorem in reuelatione IESV CHRISTI: quem cum non uideritis, diligitis. In quem nunc quoq; non uidentes creditis: credentes autē exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei uestræ, salutem animarum uestrarum. De qua salute exquisierūt atq; scrutati sunt prophetæ, qui de futura in uobis gratia prophetauerunt, scrutantes in quod uel quale tempus significaret in eis spiritus CHRISTI, prænuncians eas quæ in CHRISTO sunt passiones, & posteriores glorias: quibus reuelatum est quia nō sibimetipsis, uobis autem ministrabant ea quæ nunc nunciata sunt uobis per eos qui euangelizauerūt uobis, spiritu sancto misso de cœlo, in quæ desiderāt angeli prospicere.] Cum expedit, & patimur dura, aduersa & tristia hoc exiguo nostræ mortalis uitæ curriculo: probationes sunt nostræ fidei, quæ uarijs tentationibus, id est afflictionibus, aduersitatibus probata, multo pretiosior est auro quod corrumpitur, & nihilominus igne probatur. Nónne igitur par est ut fides res usq; adeo pretiosa probetur, tentetur, examinetur: ut inueniatur ad laudem, gloriam & honorē domini nostri IESV CHRISTI, cum in maiestate ueniet, cum reuelabitur cunctis hominibus, & omnis eum uidebit oculus. Quem cum nunc corporali intuitu non uideamus, diligimus: in quem, cum eum non nisi fide cernamus, credimus. Ex fide autem exultabimus gaudio ineffabili & glorificato, gloria quidē quam nec oculus uidit, nec in cor hominis ascendit, adipiscētes finem fidei nostræ, quæ est uita æterna, salus æterna animarum nostrarum. Quam salutem & quod, & quale esset Esa. 46.

tantæ ſalutis tempus, prophetæ ſpiritu ſancto afflati prænunciante afflictiones, perſequutiones & carnis mortificationes in CHRISTO, & quæ eas ſequerentur gloriæ, perquiſierunt, & diuino reſponſo acceperunt quod non ſuo, ſed alio tempore euenirent, cum ueniret ille qui erat expectatio gentiũ, cuius myſteria mundo euangelizarentur, nõ humano ſenſu, ſed ſpiritu ſancto de cœlo miſſo: quæ tanta ſunt, tam digna, tamq; ſublimia, ut etiam in eis deſiderent angeli proſpicere. O quàm miſeri ſunt qui hanc gratiam, hanc nouam euangelij lucem, hanc uitæ æternæ doctrinam non ſuſcipiunt. Quomodo igitur in hac noua gratia non exultabimus, non die ac nocte meditabimur, cum ſecundum eam non noſtro, ſed ſpiritu CHRISTI uiuemus, quam angeli dei uerã dei laudem adfectantes, multo deſiderio uidere cupiunt, & in qua ſolatia ſumunt? Et ideo illos paratos eſſe & bene animo affectos ad ſuſcipienda tantæ gratiæ beneficia, magnanime & in ſpiritu gratiæ adhortatur Petrus dicens:

4 Propter quod ſuccincti lumbos mentis ueſtræ, ſobrij, perfecti ſperate in eam quæ offertur uobis, gratiam in reuelatione IESV CHRISTI, quaſi filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ ueſtræ deſideriis: ſed ſecundũ eum qui uocauit uos ſanctum, ut & ipſi in omni cõuerſatione ſancti ſitis, quoniam ſcriptũ eſt: Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum.] Qui renes & ilia corporis ſuccingunt, id aut indicium eſt caſtitatis, modeſtiæ, & omnimodæ pudicitiæ, aut promptitudinis uigilantiæ, & ſolliciti animi ad quippiam exequendum. Sic ſuccingere lumbos mentis: eſt mẽtem eſſe caſtam, modeſtam, ſobriam, inſuper & accinctam ad prompte obediendum ijs quæ ſunt fidei, gratiæ, & ad perfecte ſperandum in gratiam CHRISTI, quæ per euangelium nobis annunciatur, ad finem uſq; mũdi cum reuelabitur dominus noſter IESVS CHRISTVS filius dei. Et ſic accincti mente debent eſſe fideles ad prompte obediendum & perfecte ſperandũ in omni uerbo & promiſſionibus ipſius, quibus promittit remiſſionem peccatorum, iuſtificationem, hæreditatem regni cœleſtis, & uitam æternã in æternitate gloriæ per ipſum: ne incidant in deſideria carnis & immundiciæ, ſecundum quæ uiuebãt homines, & uiuunt ſecundum primam generationem, & cum legem CHRISTI ignorant, & fidem tantæ gratiæ non ſentiunt, uiuere etiam debent ſecundum eum qui eos uocauit, qui ſanctus eſt, imò ſanctus ſanctorum, & in omnibus operibus ſuis ſancti, cum & in Leuitico ſcriptũ ſit: Sancti eſtote, quoniã ego ſanctus ſum, ut non tam ipſi quàm CHRISTVS & ſpiritus eius uiuat in ipſis. Et ut tales ſimus, aut tales eſſe totis uotis aſpiremus, duo præcipue ſunt, quæ nos debent mouere. Quorum primum eſt:

Leuit. xix. & xx.

5 Et ſi patrem inuocatis eum, qui ſine acceptione perſonarum iudicat ſecũdum uniuſcuiuſq; opus: in timore incolatus ueſtri tempore conuerſamini.] Nam niſi ſancti ſimus, quomodo audebimus inuocare in neceſſitatibus noſtris ſummũ patrem, qui iudicat unumquemq; ſecundum opera eius, ſine ulla perſonarum acceptione? Ideo toto tempore huius præſentis uitæ, totum ſtudiũ, tota ſolicitudo noſtra eſſe debet ad pie & ſancte uiuendum, cum timore in charitate & fide deum reuerendo, quod uerbum dei et doctrina euangelica uel ſola præſtat. Secundũ ſubdit Petrus, dicens:

6 Scientes quod non corruptibilibus auro uel argento redempti eſtis de uana ueſtra conuerſatione paternæ traditionis: ſed precioſo ſanguine quaſi agni immaculati CHRISTI & incontaminati, præcogniti quidem ante mundi conſtitutionẽ, manifeſtati autem nouiſſimis temporibus propter uos qui per ipſum fideles eſtis in deo qui ſuſcitauit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides ueſtra & ſpes eſſet in deo.] Secundum ergo, quod nos ad hanc puritatem & uitæ ſanctimoniam

monere

monere debet, est cogitatio precij redemptionis nostræ, qua redẽpti sumus à uana mundi conuersatione, alij à iugo & dura legis seruitute, & omnes à tyrannide carnis, peccati, & mortis: alij ab idolorum & dæmoniorum nefando cultu, & non rebus corruptibilibus uelut auro, argento, & similibus, sed precioso sanguine domini nostri IESV CHRISTI regis nostri, dei nostri, qui pro nobis immolatus est uelut agnus immaculatus & incontaminatus, sed super omnem immolationẽ & sacrificium semel, à mundi initio ad finem usq; mundi cõsummans omnia, credentibus in eũ quod tantæ bonitatis sit pater, & tantæ acceptationis sacrificij filij sui. Quod mysterium ab æterno cognitum & definitum est, & reuelatũ in nouissimo mundi statu, in ultima ætate quæ cœpit à CHRISTI aduentu, & extenditur ad mundi usq; consummationem. Mundus iste, tribus temporibus currit: tempore ante legem, tempore legis, & tempore post legẽ quod est tempus gratiæ. Et hoc redemptionis per sanguinem CHRISTI incorruptibilem omne precium in immensum excedentem mysterium ab æterno præscitum: suo tempore reuelatũ est, propter eos fideles, qui per ipsum credunt in eum qui ipsum immolatum pro nobis suscitauit à mortuis, & dedit ei gloriam in dextera maiestatis suæ sedẽti super omnem gloriam usq; ad consummationem seculi, ut fides, & spes nostra, & tota conuersatio nostra esset in deo, et ex deo penderet. Quo quid potest nobis in hoc mundo esse lætius, felicius, beatius? Quid incitatius ad pure, caste, sancteq; uiuendum? Quapropter subdit Petrus:

7. Animas uestras castificantes in obediẽtia charitatis, in fraternitatis amore, sim
» plici ex corde inuicem diligite attentius: renati nõ ex semine corruptibili, sed in
» corruptibili per uerbum dei uiui & permanentis in æternum. Quia omnis caro ut
» fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni. Exaruit fœnum, & flos eius deci
» dit: uerbum autem domini manet in æternum. Hoc est autem uerbum quod euan
» gelizatum est in uos.] Fides oculum nostrum dirigit & attentum habet in deũ, ut in eum qui in uerbis et promissionibus suis uerax est, et ipsa indubitata ueritas. Spes respicit ipsum, ut potentissimum præstare quicquid ab eo est promissum. Et ideo ipsi in omnibus firmissime credit, & in omnibus firmissime confidit, omnia præsentia & caduca calcat & paruifacit. Sed hoc non sufficit, nisi etiam charitatẽ iugiter habeamus, qua fidei obedientes, omnia opera nostra faciamus, animas purificemus credendo & fidendo per omnia deo, & ipsum super omnia diligendo, etiam simplici corde proximum, id est, quemcq; fidelem diligendo, amore quidem spirituali, non carnali, quomodo CHRISTVS nos dilexit & diligit. Et certe charitas quæ per spiritum CHRISTI diffunditur in cordibus fideliũ, nescit cor duplex, cor simulatum. Et hic amor inter se fidelium, quo nos inuicem, si fideles sumus, propensius diligimus, dilectio fraterna dicitur: quia nos omnes fideles ab eodem patre regeniti sumus: & ideo fratres, regeniti dico non semine corruptibili, sed incorruptibili, scilicet uerbo dei uiui, quod manet in æternum, incorruptibile ergo: non autem fratres ex prima generatione quæ ex carne est, & ex semine corruptibili, & quæ nihil aliud est nisi quædam uanitas in momento disparens, sicut per Esaiam scriptum est: Omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius quasi flos agri. Esa. 40.
Exiccatum est fœnũ, & cecidit flos, quia spiritus domini sufflauit in eo. Vere fœnum est populus. Exiccatum est fœnum, & cecidit flos: uerbũ autem domini manet in æternum. Prima generatio nostra ex carne, carnalis est: secunda ex spiritu, spiritualis. Prima ex semine corruptibili, corruptibilis: secũda ex uerbo dei incorruptibili, incorruptibilis. Prima ex semine immundo, immunda: secũda ex uerbo dei sancto, sancta. Prima, terrena: secunda, cœlestis. Et qualis hæc generatio, talis esse debet, quæ hanc sequit̃ tota uita, & ijs quoq; occupata quæ immortalia sunt,

qualia ſunt fidei, ſpei, charitatis obiecta: qualia fides, ſpes, charitas, ſpiritus chariſmata, & opera fidei per charitatem tam erga deum quàm proximũ nunquam intermitura neq; in hoc, neq; in ſeculo futuro? Quandoquidem charitas nunquam excidet, quæ eſſe nequit ocioſa. O utinam dignitas & ſublimitas ſecũdæ generationis eſſet hominibus cognita. Nam hæc nobis obueniunt, eo quod renati ſumus per uerbum dei quod manet in æternum: quod eſt nobis annunciatũ per prophetas,
Ioan.1. per apoſtolos, per euangeliſtas, quod ut diuiniloquus Ioannes teſtatur: In principio erat apud deum, & deus erat uerbum: quod ſuperadmirabili dei conſilio caro factum eſt, & habitauit in nobis. Cuius æterno patri, & ipſi filio eius ab omnibus filijs ſuis iugis honor ſit, & gloria, & gratiarumactio in ſeculorum ſecula. Amen.

CAPVT SECVNDVM.

8 DEPONENTES igitur omnẽ malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & inuidias, & omnes detractiones: ſicut modo geniti infantes, [rationabiles, & ſine dolo lac,] concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutẽ. [Si tamen guſtatis quoniam dulcis] eſt dominus.

9 Ad quem accedentes, lapidem uiuũ, ab hominibus quidem reprobatum, à deo autem electum & honorificatum: & ipſi tanquam lapides uiui, ſuperædificamini, [domos ſpirituales] ➡ in ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales hoſtias, acceptabiles deo per IESVM CHRISTVM. Propter quod [cõtinet ſcriptura:] Ecce pono in Sion lapidem [ſummum angularem ➡ probatum,] electum, precioſum, & qui crediderit in eum, non
10 confundetur. Vobis igitur honor credẽtibus: non credentibus autẽ, lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli: & lapis [offenſionis,] & petra ſcandali, his qui [offendunt
11 uerbo,] nec credunt in quo & poſiti ſunt. Vos autem genus electum, regale ſacerdotiũ, gens ſancta, populus [acquiſitionis:] ut [uirtutes] annũcietis eius, qui de tenebris uos uocauit in admirabile lumen ſuum. Qui aliquando non populus [dei:] nunc autem populus dei: qui non miſericordiam conſequuti, nunc autem miſericordiã conſequuti.

12 [Chariſſimi,] obſecro uos tanquam aduenas et peregrinos, abſtinere uos à carnalibus deſiderijs,
13 quæ militant aduerſus animam. Conuerſationem ueſtram inter gentes habẽtes [bonam:] ut in eo quod

ANNOT.

lac uerbi, lac rationale, & minime doloſum, λογικὸν ἀδόλον γάλα. *ſiquidem guſtaſtis quàm ſuauis, benignus,* εἴπερ ἐγεύσασθε ὅτι χρηστός.

domus ſpiritualis, οἶκος πνευματικός.

& complectitur, nectit in ſcriptura, περιέχει ἐν τῇ γραφῇ. *ſumme angularem,* ἀκρογωνιαῖον.

impactionis, προσκόμματος. *impingunt in uerbum,* προσκόπτουσι τῷ λόγῳ.

in acquiſitionem, εἰς περιποίησιν. τὰς ἀρετὰς, *à placẽdo quod ita placeat deo.*

ἀγαπητοί.

honeſtam, καλήν.

eo quod detractant de uobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus uos considerantes,
14 glorificent deũ in die uisitationis. Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ, ꝓpter [deũ:] siue regi, quasi præcellenti: siue [ducibus,] tanquam ab eo [missis] ad uindictam malefactorũ,
15 laudem uero [bonorum.] Quia sic est uoluntas dei, ut benefacientes, [obmutescere faciatis] imprudentium hominum ignorãtiam: quasi liberi,
16 & non quasi uelamen habẽtes malitiæ libertatẽ, sed sicut serui dei. Omnes honorate.
17 Fraternitatem diligite.
18 Deum timete.
19 Regem honorificate. [Serui] subditi estote in omni [timore] domi-
20 nis. Nõ tantum bonis & [modestis,] sed etiã [dyscolis.] Hæc est enim gratia, si propter dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste. Quæ enim est [gratia,] si peccantes, & [colaphizati] suffertis? Sed si bene facientes, † patienter sustinetis, hæc est gratia apud deũ. In hoc enim uocati estis: quia et CHRISTVS passus est pro [nobis, uobis,] relinquens exemplum ut sequamini uestigia eius. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui cum malediceretur, non [maledicebat,] cum pateretur, non cõminabatur, tradebat autem [iudicanti se iniuste.] Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignũ, ut peccatis [mortui,] iustitiæ uiuamus: cuius [liuore] sanati estis. Eratis enim sicut oues errantes: sed conuersi estis nunc ad pastorẽ et [episcopum] animarum uestrarum.

ANNOT.

dominum, κύριον.

ducibus, præsidibus, ἡγεμόσιν.

qui mittuntur, πεμπομένοις.

benefactorũ, ἀγαθοποιῶν.

refrenetis, φιμοῦν.

famuli, οἰκέται. *reuerentia*, φόβῳ. *clementibus*, ἐπιεικέσιν. *morosis, difficilibus*, τοῖς σκολιοῖς.

laus, κλέος. *alapis uapulantes*, κολαφιζόμενοι, † *& patientes*, καὶ πάσχοντες.

ἡμῶν, ἡμῖν, *nobis, nobis. in aliis utrobiq;* ὑμῶν ὑμῖν, *uobis, uobis.*

maledicta regerebat, ἀντελοιδόρει. *iudicanti iniuste*, κρίνοντι ἀδικαίως.

defuncti, qui desumus, ἀπογενόμενοι. *plaga*, μώλωπι.

superintendẽtem, obseruatorẽ, custodem, curatorem, ἐπίσκοπον.

COMMENT. IN CAP. SECVNDVM.

PROSEQVITVR apostolus Petrus secundæ natiuitatis beneficia, ut & desideria eius sequamur, & non amplius primæ, & ait:

Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones: sicut modo geniti infantes, rationabiles, & sine dolo lac cõcupiscite: ut in eo crescatis in salutem, si tamen gustastis quoniam dulcis est dominus.] Per secũdam natiuitatem deposuimus omnem malitiam, & omnem dolum, omnes simulationes, inuidentias, detractiones, & id genus ex instillato maligni ueneno per peccatũ cõtracta

labes, condonante nobis omnia propter ablutionem in sanguine CHRISTI, & fidem in ipsum, patre misericordiarum. Ideo debemus concupiscere non concupiscentia carnis, sed spiritus, statim à principio nostræ secundæ natiuitatis, tanquam è recenti modo geniti infantes & filij dei, lac λογικὸν ηϰὴ ἄδολον, id est, doctrinam uerbi dei, quæ sine ullo dolo ac fraude ueram alimoniã animæ præbet: perinde ac ex prima generatione infantes, statim in lucem æditi concupiscunt lac, nõ uerbi, sed concupiscentiæ & dolosum. Vt enim caro ad carnẽ, sic spiritus ad spiritũ sese habere debet. Siquidẽ λογικὸν à λόγῳ, id est uerbo deductitium est. designat etiã λόγος & rationem. Quod si hic ut rationẽ designat, capiamus, ut interpretemur τὸ λογικὸν γάλα lac rationale: id rationale, non animalem, non humanam, non nostram, sed diuinam & spiritualem dicit rationem. Ex illo ergo lacte spiritualis doctrinæ uerbi dei, siue rationis diuinæ, quæ est absq; ullo dolo, debemus adolescere, & incremento spiritualis uitæ proficere in uirum perfectum, semper in melius progrediendo, donec æternam adipiscamur salutẽ. Quandoquidẽ gustauimus ex nostræ diuinæ generationis dono, quoniam suauis est dominus. Et uerbũ, quod est in principio capitis ἀπορθέμενοι, quod interpres uertit deponẽtes: perinde est ac, qui deposuistis, alij uertũt: deposita omni malicia. Nam in regeneratione illa omnia deposuerãt, & illis remissa fuerãt, quæcunq; ex illis seminarijs diaboli per peccatũ contraxerant. Et id etiã λογικὸν, id est uerbi, siue rationale, & id ἄδολον, id est sine dolo, cũ dicit τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα, referri debet ad lac, nõ ad infantes, iuxta superiorẽ intelligentiã, quod Græce conspectius est q̃ Latine. Sed quis sit isdominus, cuius suauitatem in baptismatis dono præguſtauerunt, declarat cum ait:

9 „ Ad quem accedentes lapidem uiuum, ab hominibus quidem reprobatũ, à deo
„ autem electum & honorificatum: & ipsi tanquam lapides uiui superædificamini
„ domos spirituales in sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias accepta-
„ biles deo per IESVM CHRISTVM. Propter quod continet scriptura: Ecce pono
„ in Sion lapidem summum angularem, probatum, electum, precio sum, & qui cre-
„ diderit in eum, non confundetur.] Ex materialibus lapidibus, materiale templũ olim deo ædificabatur. Sed aduenientẽ CHRISTO qui lapis spiritualis, lapis uiuus & uita ipsa est: cœpit ex lapidibus uiuis templum dei spirituale construi: & tale templum, cuius singuli quiq; lapides, singula templa sunt. Ipse enim dominus se

Ioan. 2. templum uocat, cum ait: Soluite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Et qui ad eum accedunt, lapides uiui efficiuntur, & ædificantur in domos spirituales, spiritualiaq; templa deo: & non solum in templa, sed & in sacerdotium sanctum, ut offerant spirituales hostias, seipsos, ut CHRISTVS seipsum obtulit: quæ deo per omnia gratæ & acceptibiles fiunt per IESVM CHRISTVM, qui summus lapis, summum templum est; summusq; sacerdos. Et quia per ipsum acceptantur omnia: ideo continere, unire & nectere in scriptura reperitur, ut dicente deo in

Esa. 28. Esaia: Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, probatum, electum, precio sum: & qui credit in eum, non confundetur. Cum dicit lapidem ἀκρογωνιαῖον, id est, summamgularem, siue in summo angulo: complecti, unire, ac cõtinere intelligit. Angulus enim, uaria nectit, quæ sine angulo dissuncta essent. Et cum sit hic lapis uiuus, maxime omnium probatus, electus & precio sus, summũ obtinẽs locum, templum dei, & sacerdos maxime omnium summus, à deo cõstitutus om-

1. Timo. 2. nium mediator (Vnus est, inquit Paulus) deus, unus & mediator dei & hominũ, homo CHRISTVS IESVS, estq; deo absq; ullo medio appropinquans: maxime æquum est ut per eum spirituales hostiæ omnes & offerantur deo, & fiant deo acceptæ. Verum & qui in simplicitate uitæ uixerũt, in foraminibus petræ (qui lapis est ipse electus) securitatem ab hoste quærentes, meditantes & contemplationis

uolatu

uolatu ſeſe ad alta interdum ferentes: hi ſpirituales etiam columbas offerunt deo. Qui in innocentia uitæ uocem paſtorum audiunt, auditam ruminant, qui carpũt in humilitate & ſimplicitate paſcua euangelica ad quæ deducuntur, non ualentes ſe ad alta ipſorum myſteria attollere, uſum præſtantes quem ex ſe poſſunt omnibus, ſuiſq; paſtoribus: hi ſpirituales oues & agnos offerũt deo. Qui multo labore & ſudore, duros populorum animos uomere uerbi dei ſanctæq; doctrinæ ſulcãt, ut ſemina æternæ uitæ iacta uberem fructum afferant, ut impleãtur ſummi patris familiãs horrea. Hi, ſpirituales uitulos & boues deo offerunt. Alij offerunt ſpirituale aurum, uitam omni examine & probatione tentationum, tribulationum, & perſequutionum examinatam, omniq; tentationi, mundi, carnis, diaboli, ſpiritu fi dei fortiter ac patiẽter obluctantem ac inuictam. Alij ſpirituale argentum: qui in uita gratia & exemplo nitentes, probationes aliquot uiriliter ſuſtinuerunt nihilo deteriores, ſed meliores puriores q; effecti. Qui & quæ uirginitatis, puritatis, & ſimplicitatis dono in fide deo placuerunt: hi ſeipſos turtures ſpirituales deo offerunt. Et quieiunijs & orationibus filij dei imitatione, per uitam in dilectione dei & proximi arſerunt: hi offerunt ſpirituale thus, & redolens thymiama. Qui operibus miſericordiæ, hi ſpirituale oleum. Et qui plures ex his uixerunt uitas, plures ſimul hoſtias, plureſue oblationes in illo ſancto & ſpirituali templo deo offerunt, quæ ualidæ nõ ſunt & deo acceptæ, niſi eorum quos ſummus lapis CHRISTVS in ſacro ædificio continet ac nectit. Et hoc ſanctum & ſpirituale ſacerdotium, ad proprias ſui ipſorum offerendas hoſtias acceptabiles deo per dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, omnibus fidelibus cõmune eſt, ſuntq; uere fideles omnes ſpiritualia templa, ſpirituales ſacerdotes, ſpirituales hoſtiæ: ſpirituales dico ſacerdotes uncti ad hoc ſpiritu ſancto, ut ſuas hoſtias offerant deo, in conſciẽtia puta, mortificatas quidem carne, uiuificatas autẽ ſpiritu. Et hos ſacerdotes CHRISTVS uniuerſaliter nouit. At particulare ſacerdotium, quod uel ſolũ uulgus nouit, quod quidem cum ignorantia ſcripturarũ iam plurimo tempore ſuam dignitatem ignorauit & neglexit, relapſum prorſus in primæ natiuitatis carnalem conditionem, ex ſcripturis tam admiranda circa ſe beneficia CHRISTI neſciens: ſacerdotium inquam particulare, nõ omnibus commune eſt, ſed ijs ſolis qui uulgo ſacerdotes & presbyteri dicuntur, quibus præcipuũ munus eſt alios in uerbo dei ſyncere inſtruere, ut firmi ſint in fide, ſpe, & charitate dei & proximi, & ſacramenta miniſtrare: quod ſine fide & altiori quidem fide, & ampliori unctione ſpiritus ſancti, quàm in ijs qui inſtruuntur, fieri aut non debet, aut non poteſt. Proinde ſubiungit Petrus:

10 ¶ Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem, lapis quem reproba
uerunt ædificãtes, hic factus eſt in caput anguli, & lapis offenſionis, & petra ſcan
dali, his qui offendunt uerbo, nec credunt in quo & poſiti ſunt.] Lapis ille, qui eſt CHRISTVS dominus, credentibus, & maxime ædificantibus eſt honor, & quidem incomparabilis: non credentibus autem, lapis offenſionis, & petra ſcandali. Hi autem ſunt qui offendunt in uerbo fidei, qui non credunt euangelio dei, ad quod nihilominus ſcilicet ad credendum, ipſius dei benignitate poſiti erant, quandoquidem illi placuit ut audirent uitæ æternæ uerbum. Nos autem (inquit Paulus), prædicamus CHRISTVM crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem uocatis Iudæis atq; Græcis, CHRISTVM dei uirtutem & dei ſapientiam. Qui ergo audito uerbo manent increduli, offendunt uerbo, impingentes in lapidem offenſionis, & in petram ſcandali: haud ſecus, ac nauis cum impingit in cautem, illiditur, reſiliens in perditionis barathrum. Sic & illi offendentes impingentesq;, illiduntur, reſilientes per incredulitatẽ in extremã 1. Corinth. 1.

perditionis miseriam. Quod accidit pontificibus Iudæorum, scribis & pharisæis, qui cum olim debuissent ædificare lapides uiuos, tandem malicia excæcati, lapidē per se uiuum à deo electum & super omnem precioſum, tanquam spirituali ædificio inutilem, reprobauerunt. Et ideo summus architectus qui illum probauit & elegit: posuit in summo sacratissimi templi sui angulo, ut necteret in unum templum, in unam ædificationem uiuam, non solum eos qui sunt ex gente Hebræa, sed ex omni gente & natione. Et uterq; populus, & Hebræorum & Gentiū, qui crediderunt in eum, facti sunt in illo unū uiuum dei templum. A domino (inquit) factū est istud, & est mirabile in oculis nostris. Sed quinam, & qua dignitate censendi sint ij qui credunt, credent & qui crediderunt in eum, aperit Petrus, dicens:

11 » Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisi-
» tionis, ut uirtutes annūcietis eius, qui de tenebris uos uocauit in admirabile lumē
» suum. Qui aliquando non populus dei, nunc autem populus dei: qui non conse-
» quuti misericordiam, nunc autem misericordiam consequuti.] Genus dei sunt
Ioan.1. omnes, qui secundam perceperunt generationē: qui non (inquit Ioannes) ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex deo ἐγεννήθησαν. id est geniti sunt. Ergo genus electum, scilicet dei electione etiam ab æterno: ut omnia bonæ uolūtati diuinæ, imò incomprehēsibiliter bonæ omnia tribuamus, & in laudes & admirationem tantæ dignationis erumpamus. Regale sacerdotiū. Sacerdotium Iudaicum, Leuiticum erat, & non regale ex Iuda. Et particulare, ad unam familiam, Leuiticam scilicet pertinens. Nostrum autem, ex CHRISTO qui est sacerdos in æternum, leo de tribu Iuda, & rex regū, & dominus dominantiū: regale est, & uniuersale (nam de uniuersali hic sermo est) Et omnes uenientes ad ipsum, inunguntur unguento spiritus, ut sint Christiformes. CHRISTVS siquidē & rex est & sacerdos. Vngimur chrismate illo uero, ut omnes CHRISTI simus, 12
qui à chrismate nomen habet, unctus quidem præ omnibus participibus suis qui sunt omnes fideles in eo regeniti, sicut Psal. 44. Vnxit te deus deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Ipse absolute Christus: nos participatione Christi, & omnes interna unctione & spirituali uncti, ut omnes reges spirituales efficiamur & sacerdotes, tanto ueriore, quàm unguento illo quo reges olim et sacerdotes ueteris legis ungebant, ut reges essent ac sacerdotes. Quāto lux præstātior est umbra, & ueritas sua figura, et tāto ueriores reges & sacerdotes. O dignitas christianorū in Christo mirabilis. O q̄ admirāda? Quis sapiēs, & intelliget hæc? Ipsi honor & gloria in secula. Et hoc sacerdotium (ut dictum est) uniuersale est omniū: etsi in unoquoq; est particulare ad suam quemq; aut suas particulariter offerendū deo per Christum, qui summus rex est et summus sacerdos, spirituales hostias. O si christianus cognosceret spiritualem dignitatem, qua eum uenientem ad Christum dignatus est deus: æstimaret beneficiū dei pluris quàm omnia regna mundi, qui ex ipsa continuo natiuitate rex inungitur & sacerdos. Rex quidē, quo debellet omnia monstra uitiorum, uictor manens, uirtute & gratia glorioſus: ad quam quidem uictoriam faciendam, non angelos modo, imò Christum ipsum, & spiritum Christi habet adiutorem, imò præcipuum autorē. Sacerdos uero: quo propriam offerat deo hostiam. De alio sacerdotio particulari & sacerdotibus, qui & presbyteri, ad publicas functiones ad hoc ipsum delecti, de quibus paulò supra: hic non est sermo, neq; de regno temporali, & regibus temporalibus, quæ etiam sunt particularia. Et hi reges & sacerdotes, pluris æstimantur quo ad mundū: illi, quo ad deum. Et parum est his esse hoc modo reges & sacerdotes, nisi illo modo in ueritate & spiritu eminētiori modo quàm cæteri reges sint & sacerdotes. Deus faxit ut seculum nostrum hanc magnam & admirabilē lucem uideat: & immensa lux uerbi eius redeat. Gens sancta, sunt qui per secundam generationē ad ipsmu

ueniunt;

uenſunt: prius quidem immunda & impura, ſed ipſa per ipſum ſpiritu ſancto intime mundata & ſanctificata, lota ſanguine filij dei: cuius diuinæ lotionis purificationis & ſignū eſt, baptiſmus exterior & aquæ perfuſio. Eſt populus acquiſitionis, quia perditus erat, ab ea maligna poteſtate detentus ſeruus, quæ neque deus eſt, neque rex, neq; dominus: ſed dæmon, ſed tyrannus, ſed plagiarius. Quo deuicto CHRISTI morte, deus ſummæ bonitatis & miſericordiæ ipſum ſibi in æterna felicitate acquiſiuit, & pro dura illa ſeruitute, fecit regem, & pro impuritate, ſacrū ſacerdotem. Hæc igitur acquiſitio fuit ijs qui acquiſiti ſunt, ex bonitate ipſius acquirentis ad incomprehenſibile bonum acceſſio: ut tantorum bonorum non ingrati, non immemores, uirtutes & benignitates eius annuncient qui de tenebris, quæ eſt adhæſio ſpiritibus & poteſtatibus tenebrarum, & dei ignorantia, eos uocauit, & accerſiuit in ſuam admirabilem lucem, quæ eſt per dei uerbum & euangelicam doctrinam ipſius cognitio, & cum omni ſummo & bono adhæſio, adeo ut in illis impletum ſit oraculum: Populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis. Magna lux, & quæ præ magnitudine capi non poteſt, eſt CHRISTVS IESVS, & per ipſum ad patrem miſericordiarum acceſſio, nunquam alioqui acceſſibilem. Quis cogitare poterit gratiam, quam dei benignitas ex aduentu Chriſti domini nobis & ipſis attulit; quorum præceſſores per tot ſecula non fuerunt populus dei, non fuerunt miſericordiam conſequuti: nunc autem & populus dei ſunt, & miſericordiam conſequuti, & in hæc tēpora aduenerunt, de quibus ait dominus in Oſee: Et miſerebor eius quæ fuit abſq; miſericordia, & dicam non populo meo, populus meus es tu, & ipſe dicet: Deus meus es tu. Deinde adhortationes, & ſanctas admonitiones tranſit Petrus. Prima: Eſa. 9. Oſee 2.

12 Chariſſimi, obſecro uos tanquam aduenas & peregrinos, abſtinere uos à
" carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam.] Ciuitas, terra & patria
" quam inquirimus, non eſt in hoc mundo: alioqui aduenæ & peregrini non eſſemus in eo. Sed ea ciuitas eſt cœleſtis Hieruſalem. Terra illa, terra ſumma, terra lucida, & terra uiuentium. Et patria illa, regio cœleſtis, regio ſempiterne felicium. Alia eſt terra ima, terra tenebroſa & operta mortis caligine, regio ſine fine miſerorum. Ergo quamdiu ſumus in hac media terra, in qua regnāt carnalia deſideria, quæ aduerſantur ſpiritui, & pugnant aduerſus animam ad ſuam felicem regionē tendentem: ſumus adhuc aduenæ & peregrini. Qui niſi per fidem & ſpiritū Chriſti reſiſtamus uiriliter concupiſcentijs & deſiderijs carnis, quantum gratia præſtabit nobis ad deum ſuſpirantibus & auxilium petentibus, non poterimus ad ciuitatem illam, & terram illam lucidam, & beatiſſimam patriam peruenire. Nam ſi concupiſcentiæ uincunt, noſtra ſecundæ generationis uita extinguetur, per quā ſolam, ſecundum eam uiuendo, ad ciuitatem illam & terram illam peruenturi ſumus. Quandoquidem cœleſtis Hieruſalem & terra uiuentium: nō uitæ primæ generationis debetur, ſed ſecundæ. Quid mirum igitur, ſi illam ueram & ſecundam uitam ſciens Petrus, nos hortatur ut carnis deſideria obnixe fugiamus, ne perdamus cœlum ad quod regeniti ſumus. Imò perdita ciuitate & terra uiuentium, incaute, id eſt, ſine fide, alta ſpe & charitate peregrinādo: præcipitiū facimus in infimam terram & in nouiſſimum lacum, ad quem caro & concupiſcentia eius dubio procul nos præcipitio dedunt. Neq; ſatis eſt uere fidelibus ad altiora peregrinantibus uitare concupiſcentias, & quicquid præcipitās caro ſuggerit: niſi & bona opera ſua quæ ſunt fidei & charitatis, ijs inter quos peregrinantur oſtēdant, ut olim Abraham, Iſaac, Iacob, & Ioſeph uere caſtus & minime carnalis. Oſtendant dico, non ut boni appareant, nam id uanum; ſed ut glorificetur deus qui regene-

rationis & operum eius præcipuus, imò & solus est autor, quod quidem solidum est & sanctum. Ideo secundam exhortationem subiungit Petrus, dicens:

» 13 Conuersationem uestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detra-
» ctant de uobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus uos considerãtes,
» glorificent deum in die uisitationis.] Inter gentes, inquit, habẽtes conuersatio-
nem bonam. Gentes sunt, qui ex prima generatione carnis sequuntur desideria, ad uitam spiritus nondũ renati. Et quia uita carnis & uita spiritus contrariæ sunt, hi de fidelibus & spiritualiter uiuentibus obloquebantur, tanquam maleficis, ut qui deos eorum despicerent, & eorum uiuendi ritum floccifacerent. Attamen uidentes sancta opera eorum, ut qui erant pacifici, modesti, nullis iniurij, in omnibus patientes, omnia sua opera per charitatem facientes, & omnibus benefici: sic his exemplis permotos plerunq; uisitabat deus, & ad consimilem uitam fidei inspirabat. Hæc enim est dies uisitationis eorum: alioqui exempla non sufficerent. Ex contemplatione igitur uitæ eorum, gratia Christi eos uisitante, glorificabant deum. Et ad hoc ipsum alijs sancte conuersari debent boni: nõ modo iuxta uerbũ
Matth. 5. hic apostoli, sed & domini dicentis: Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cœlis est. Tertia:

14 » Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter deum: siue regi, quasi
» præcellenti: siue ducibus, tanquam ab eo missis ad uindictam malefactorum, laudem uero bonorum. Quia sic est uoluntas dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Quasi liberi, & non quasi uelamen
» habentes malitiæ libertatem: sed sicut serui dei.] Quod ait, omni humanæ creaturæ: explicatur per id quod sequitur, siue regi, siue ducibus. Duces qui & præsides & præfecti prouinciarũ & urbiũ erant, temporibus quidem pacis, locis præfecti erant, & præsidebant prætorijs ad iussa Cæsaris capessenda, ut ad subsidia, ad uectigalia, & huiusmodi tributa exigẽda, ad iusticiam populo administrandã, ut qui malefactores punirent, benemerentes autem nullis malis afficerent, sed potius laude & gratia dignos dicerent. Tempore uero belli aut rebellionum militibus præerant, exercituum duces, & siue tempore pacis in prætorijs ius dicerent, siue tempore belli gladium portarent: hoc erat ad malefactores puniendos, benefacientes autem & insontes, quantum ex ipsa ordinatione erat tutandos, & nullo eos grauamine afficiẽdos. Et an magistratus omnes temporales et sublimiores huiusmodi status, humanam creaturam uocat Petrus, quod soleant aut humana consuetudine, aut humanis suffragijs creari? Ergo omni humanæ huiusmodi creaturæ in eminentiori gradu constitutæ, pareamus & subiecti simus. Et hoc propter deum, in illis ordinationem diuinam ac potentiam attendentes: qui uult quosdam esse reges, qui clementia populos regant, quosdam præsides, qui populo ius dicant: quosdam duces, qui in bellis uindictam faciant, illos (ut nouit aut uult deus) puniendo: quosdã esse satrapas, ad uectigalia exigenda, & ad alios publicos usus. Alios iudices, qui iura priuatis dicant. Et omnibus bene utitur deus, aut ad suam misericordiam, aut suam iustitiam. Regibus, & bonis principibus, & magistratibus, ad misericordiam suam ijs qui subsunt demonstrandam, tyrannis, crudelibus principibus, & iniustis magistratibus: ad iram suam, & uindictam in malos manifestandam, & exercitandam bonorum patientiã. De bonis dicit Hieremiæ 3. Dabo uobis pastores iuxta cor meum. De malis Osee 13. Dabo tibi regem in furore meo. Et Esaiæ 3. Dabo pueros principes eorum. Alioqui nisi principes & magistratus diuina ordinatione constituerentur: confusa essent omnia. Neq; subsisterent boni qui pauci sunt propter malos, qui multitudine eos opprimerẽt, & omni tempore malicia obtineret prævaleretq;. Neq; idcirco subiectionem detractare licet,

licet, si sua potestate abutuntur. Nam potestatem habent à deo, & illi tanquam diuinæ ordinationi quamdiu illam habent, nos subditos esse oportet propter deũ: non detractare propter abusum, nisi quicquam iubeant contra dei uerbum, cum fidei læderetur integritas, aut manifesta incurreretur dei offensa. Si autẽ citra peccatum & dei offensam id fieri potest, non magnopere curãdum, neq; reluctandũ, sed omnia libere per charitatem, & quia dominus iubet faciendo, neminem neq; bonos neq; malos scandalizando. Sic dominus didrachma argenti pro se et Petro dedit. *Matth.17.* At Petrus magistratui & principi sacerdotum in concilio præcipiẽti sibi & apostolis, ne amplius in nomine IESV docerent, non acquieuit, sed respõdit: Obedire oportet deo magis quàm hominibus. *Act.5.* Princeps ille sacerdotum potestatẽ habebat qua in hoc etiam contra deum abutebatur, & Petrus potentiæ se subdidit, ut qui & apostoli magistratui, & principi parentes, non inuiti aut reluctantes ierunt ad concilium. Abusui autem non paruit: quia id citra dei offensam fieri nõ potuit. cuius rationem reddidit: quia à deo præceptum habebãt ut nomen IESV populo annunciarent, & in eo nomine docerent populum, quod præcepto hominũ præferendum erat qui præcipiebant oppositum. Sine enim peccato, sine dei offensa & iniuria: præceptum dei præcepto hominum irritari nõ potest. Et sicut dei ordinatio est ut illæ potentiæ sint quodammodo suæ, seu miserendo, seu iudicando ac puniendo æmulæ, quod in imagine & quadam diuinorũ imitatione, nisi quatenus error accidit, pertrãsit homo: ita dei uoluntas est, ut inferiores illis subdant, tanquam potẽtijs ab eo datis, imò suæ potentiæ, cum nemo quicquam possit, nisi ipsius potentia. Et qui sic faciunt, obmutescere faciunt imprũdentium hominum ignorantiam, qui diuinam ignorant ordinationem, & qui carnaliter & non spiritualiter sapiunt. Et id faciunt tanquam uere liberi ea libertate qua nos liberauit, id est liberos fecit CHRISTVS: non ea abutentes tanquã eam uelut uelamen ad malitiam prætexentes, dicentes: Quia non sumus serui mundo, peccato, morti & tyranno eius diabolo & inferno, sed liberi & domini omnium: licet nobis quicquid uolumus facere, & nullo pacto subiectos esse potestatibus. Nam & si libertatẽ habent spiritualem, ea utantur ut serui dei, eius potentiæ et ordinationi sese subdentes ad id ipsum, per omnia CHRISTVM exemplum habentes. Quarta:

15 Omnes honorate.] Omnes dicit, tam fideles quàm infideles, inter quos ea tempestate maxime uersabantur christiani. Et ut in præcedenti adiunxit particulam propter deum: hic & ubicq; in sequentibus illam intelligamus. Honoremus ergo unumquemq; secundum statum suum: non habendo rationem hominis, sed diuinæ bonitatis & ordinationis. Quia cum attenditur homo ac persona, est prosopolepsis, id est personæ acceptio, quæ prohibetur. Cum autem bonitas diuina & ordinatio: tum id bene fit, & tunc subiectio, & honoratio, & id genus officia, spiritualia sunt, & uere fidelium. Honora in paupere, CHRISTVM humilẽ, bene pauperi CHRISTI faciendo. In diuite, deum qui diues est in omnes, qui et omnes & humanas & diuinas largitur diuitias. In domino, deum omnibus dominãtem. In potente, ipsum uere omnia potentem: & ita in cæteris nihil nisi quod diuinum est attendendo. Cum autem persona attenditur uel sola, carnalia sunt, infidelium, aut non surgentium ad spiritum. Honoremus ergo infideles: non quia infideles, sed quia in eis est quædam dei potestas, qua potens est eos illuminare & dirigere, sicut dirigit sua misericordia iam illuminatos, quemadmodum scriptum est: Dominus illuminat cæcos, dominus dirigit iustos. *Psal.145.* Honoremus insuper diuites, quia & scriptum est: Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat. *1.Reg.2.* Honoremus etiã pauperes, quia deus pauperes huius mundi elegit, factus & ipse pro nobis pauper, ut nos uere diuites efficeret, & quia scriptum est: Beati pauperes spi- *Iaco.2.*

ritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Qui honorat hoc modo, secundum deum honorat, & sua erga omnes officia habet, libere & per charitatẽ omnibus inseruire diuitibus, citra ullam dei offensam obsequia præstando, potentibus obediendo: Pauperibus eos consolãdo & pro necessitatibus si illi adsint, bona eis impartiendo. Nam si tibi bona adsunt, intellige ea tibi à deo tradita, non ad possidendum, sed ad distribuendum. De ijs autem qui in excellentia constituti sunt, ut potestate aliqua & magistratu, iam dictum est. Etsi hanc in omni statu sequimur honorandi legem: sine offensione omnes honorando curemus, non acceptando personas, non iudicando, non spernendo. Et non tam plerunq; carnales animalesq; homines: personas iudicant, spernunt, & condemnant, quàm diuinam in ipsis potentiam, quàm ordinationẽ, contra deum superbientes, & sese eleuantes. Hi semper oculos in infima figunt: illi, id est, spirituales homines, in summa. Hi in prolapsus & inordinationes: illi in ordinata: hi in tenebras, illi in lucem. Lux ueritatem pandit, tenebræ falsitate obruuntur. Hi spiritu carnis, illi spiritu dei ducuntur. Et qui omnem hominem uel infimum, maxime fidelem, ut dei imaginem honorat, non errat. Et de eiusmodi sequentia. Quinta:

16 „ Fraternitatem diligite.] Hæc de solis fidelibus intelligitur: nam hic fratres dici non possunt, qui ab eodem patre aut eadem matre geniti non sunt. Fideles aũt omnes ab eodem patre deo, & ab eadem matre ecclesia geniti sunt: sed infideles nondum geniti sunt, neq; adhuc in utero matris gestantur, ut ij gestantur qui uocantur catechumeni, qui neq; adhuc plene fideles sunt, neq; infideles, sed utrisq; medij. Et perinde est, fraternitatem diligite, ac fratres diligite: & hoc propter deũ, qui uoluit per regenerationem omnium nostrum pater esse. Sed sic non possumus diligere infideles, quia filij dei non sunt, neq; hoc modo nobiscũ deum patrem habentes, qui non credunt in CHRISTVM consubstantialem dei filiũ. Dedit enim ijs solis potestatem filios dei fieri, qui credũt in nomine eius. Hæc igitur quæ debetur fratribus, magna est dilectio & charitas. Etsi fratres ex eodem patre & eadem matre secundum carnem geniti, se iure naturæ magis debẽt diligere dilectione carnis, quàm alios alijs parentibus natos: tanto magis se debent fratres deo patre & ecclesia matre nati, diligere dilectione spirituali, quanto deus melior pater est patre terreno, & fidelis ecclesia sponsa CHRISTI melior mater matre terrena, & spiritus melior carne. Non tamen ex hac admonitione, quæ etiam nouæ legis est præceptum, excluditur dilectio ad exteros & infideles. Quia etiã nos docet diuinum institutum diligere inimicos nostros, & benefacere ijs qui oderũt nos. Ergo illos diligemus, quia dominus mandauit, quia dominus eos nobis ex prima generatione ad secundam generationem uocare potest, & facere fideles similes nobis. Et huic dilectioni adiungemus officium salutis eorum, & illuminationis affectum, precesq; ut filij deo fundemus: ut seruos illos ex illa dura infidelitatis seruitute liberet, & filijs annumeret, quo laus eius in uniuerso terrarum orbe accrescat, & sit laus ipsius secundum nomen suum. Amor spiritualis amplus est, & latissime sese fundit: carnalis autẽ angustus, & arctissimis pressus terminis. Ille cœlum implet & terram: hic uero uix unam domum, unámue familiam. Sexta:

Ioan.1.

Matth.5.

Psal.47.

17 „ Deum timete.] Triplex est timor, quo fideles deum timere possunt. Primus: Timor est offendendi deum, quandoquidem potestatem habet offendentem mittere in gehennam, & punire etiam si uult in perpetuum. Et sic timeri debet offendi: attenta illa immensitate potestatis, & ratione potestatis, non autem ratione gehennæ ignis & punitionis. Secundus: Est timor offendendi deum propter ipsum solum, quia est infinitæ bonitatis, idq; indignissimum esse tantã offendi bonitatẽ, maiestatem, dignitatem. Tertius: Est timor non offendendi, sed syncere sancteq;

colendi

colendi, pureq; uenerandi. Et hic timor est pura reuerentia, quo cœlestes spiritus omnes timẽt, reuerenturq; deum. Si timori adest phantasia pœnæ, reddit impurum, & non est pura reuerentia. Si etiam timori miscetur phantasia offensionis & delinquendi metus: non est pura reuerentia. Primus timor, in uita spirituali est incipientium. Secundus est proficientium. Tertius est perfectorum. Et ut more nonnullorum priscorum loquar, Spiritus per primum purgat eos qui purgantur. Per secundum illuminat eos qui illuminantur. Et per tertium perficit eos qui perficiuntur. Primus, reuerẽtia est, sed impurior. Secundus, minus impura. Tertius, reuerentia pura. De primo dicit dominus apud Lucam: Ostendam autem uobis quem timeatis. Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. *Luce 12.* De quo & id: Initium sapientiæ timor domini. *Psal.110.* De secundo id: Per timorem domini declinat omnis à malo. *Prouer.15.* & id: Adorabo ad sanctum templum tuũ in timore tuo. Id insuper: Venite filij, audite me, timorẽ domini docebo uos. *Psal.5.* De tertio apud Esaiam: Egredietur uirga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris domini. *Psal.33.* *Esa.11.* Certum est enim dominũ nostrum de quo hic Esaias: non habuisse timorem qui admistionem phantasiæ uitandæ offensionis habet, qui erat impeccabilis: etsi cæteri homines quandiu uiuunt, illum habere possint, qui adhuc quantum est ex sua infirmitate peccare queunt, non tamen sic CHRISTVS qui peccare non potuit. Et tanto minus habuit timorem infimum: qui quidem timor habet nonnihil admixtum metus gehennæ. De tertio igitur id intelligitur, qui est timor dei sanctus & purus, de quo & Psal. 18. Timor domini sanctus, permanet in seculum seculi. Etsi non negem spiritum sanctum, primum et secundum inspirare timorem: tertius tamen maxime spiritus sancti donum est, quod & Esaiæ oraculũ prodit. Sed ille bonus & eminentia omni plusquàm dici potest, bonus spiritus, distribuit unicuiq; ut uult, & ut cuiq; cõducit, paruulis in CHRISTO: primum: crescentibus in CHRISTO, qui semper ad anteriora procedunt, secundum: sed adultis in CHRISTO & cõsummatis, tertium. Et licet primi, & secundi, & tertij sint liberi: quia tamen primi paruuli & tantilli sunt, parum distant à seruo, uirgam adhuc timentes ex cogitatione pœnarum gehennæ. Secundi, uirgã non timent nec cogitant: sed solum suam infirmitatẽ cogitantes, cœlestis patris timent offensam. Tertij, nec uirgam, nec offensam timent: iam non tamen ex sese, sed gratijs & beneficijs dei potentes Et hi maxime sunt liberi, & maxime item serui. deinde: secundi & ultimo loco, primi. Tertij quidem sunt maxime liberi quo ad carnem, mũdum, & peccatum. & maxime serui iustitiæ spiritus, iustitiæ cœlesti & gratiæ dei, & (ut sic dicam) maxime omnium, sicut Petrus, Paulus, Ioannes serui CHRISTI. Et suo modo de alijs. Primi pedem habent in terra. Secundi, scandunt ad alta. Tertij, cœli sunt habitatores, qui nunquam suum timorem dimittunt. Alteri autem, id est primi & secundi, cum iam in cœlo sunt & cœlestiformes, suos timores commutant in purum timorem, ac puram dei reuerentiam. Et hi timores coniunctum habent eius qui solum ac solus timendus est amorem. Primus, minus, secundus, magis, tertius, maxime. Et in his etiam omnibus, charisma est amor. De alio timore qui nihil aliud est quàm fuga mali atq; pœnæ, qui obiectum habet malum, aut quod apprehenditur ut malum: hic sermo non est, quia eo nullo modo timeri debet deus, qui est omne bonum, summum bonũ, & infinitum bonũ. Neq; hic timor qui bonus esse non potest, unquam ab apostolo iuberetur. Nunquã ergo ex dei benigno fauore nos deserat timor domini bonus, uel primus paruulos, uel secundus crescentes, uel maxime omnium, si gratia dei nos dignos fecerit per

fidei abundantiam, per ſpem & charitatem adultos & perfectos in CHRISTO: tertius, quia non eſt noſtræ poteſtatis, non eſt noſtrarum uirium uel hunc uel iſtū uel illum habere: niſi imbre cœleſtis gratiæ nos irrigante. Septima:

18 Regem honorificate.] Regi ſubditos nos eſſe oportere, ut in uectigalibus, tributis, & id genus quæ ſunt regij iuris exhibēdis: tertia admonitio docuit. Hæc autem docet peculiariter regi debitum honorem impendendum propter deum. Nam in genere quarta monuerat eum eſſe honorandum. Et nos regem propter deum honoramus: ſi potētiam illi à deo datam, & ſummæ maieſtatis inſigne in eo ueneramur, imò deum ipſum qui illi eſt potentia & maieſtas, qui omnia in omnibus eſt ueritas: potentia quidē, qua ſub deo prouidere debet, defendere ſubditos, iuſtitiam miniſtrare, clementer corrigere, ſubditos malos qui correptionem non recipiunt, è medio tollere, & multo magis deus hæc per ipſum. Et quāto hæc potentia & maieſtas eſt maior & auguſtior, tanto quoq; eſt honoratior, ut in monarcha quādo deus dat monarchas, quàm in particulari rege: quia in illo quàm in hoc deus magis potentiam ſuam & maieſtatem manifeſtat. Et quanto magis huius & illius potentiæ ad iuſtitiam fidei, pietatem & ſpiritum dirigunt tanto honoratiores, ut potentia in apoſtolis qua poterāt ſuper nequitiarum ſpiritus & poteſtates tenebrarum ad fidem, iuſtitiam dei, & ſpiritū maior erat & honoratior quàm Cæſaris, qua ſolum poterat ſuper carnales & mundanas poteſtates ad humanam iuſtitiam dirigens. Nec mirum, quandoquidem illi erant ſimliores CHRISTO, qui eſt rex regum, et dominus dominantiū, & per omnia ſecula ſolus monarches, ad diuinam iuſtitiam dirigēs: qui & in ipſis erat, & in ipſis operabatur. In Cæſare autem multo inferius operabatur, ad iuſtitiam ſcilicet huius mundi, corruptibilē, non æternam, non ueram, etſi umbram, aut potius phantaſiam habeat iuſtitiæ, cū & Moſaica iuſtitia hac maior, non eſſet niſi ueræ iuſtitiæ, quæ omnipotentis monarchæ CHRISTI eſt umbra: qui ſit ab omni potentia benedictus in ſecula. Tametſi ſenſus carnis potentiam Cæſaris maiorem & honoratiorem æſtimet potentiam, potentia apoſtolorū, quæ erat ſummi & potentiſſimi cœli & terræ monarchæ CHRISTI potentia: longe ſecus ſenſus ſpiritus ſentit & iudicat. Ille externa uidet, iſte interna, Ille terrena, & ima, & pauca: iſte cœleſtia, ſumma, multa, imò et omnia. Ille fallax eſt & perdit, iſte autem uerax & ſaluat. CHRISTVM igitur uerū regem, uniuerſorum monarcham, omnē cum æterno patre habentem potentiā, omnia & ſuper omnia tremendā maieſtatem, ſuper omnia honorificemus. Sed & nunc adhuc id de terrenis adijciamus. Si rex terrenus quandoque ut dominus gubernat, nihilominus honorare debemus. Nam peccatum ſeruos facit, et ſeruis nō debetur niſi dominus. Poteſtas igitur dominandi illis à deo datur, propter quam illi ſunt honorandi. Etſi bene gubernant ut domini, dum aliter gubernare nō poſſunt, bonam mercedem habent apud dominum. Si bene ut reges maiorem: & ita ſecundum gradus ſuos. Sin autem male, ut maiora in ſe tulere maieſtatis & honorificentiæ dona, ſic maiora dedecoris & ignominiæ patientur tormenta. Et utinā ſic fideles & ſecūdum ſpiritum uiueremus omnes, ut CHRISTVS unus omnium uere dominator agnoſceretur, tunc cum non eſſemus ſeruí peccato, ſed liberi, daret nobis uere clemens dominus reges miniſtros ſuos, qui nos regerent ut ſummi regis filios, non dominos qui nos regerent ut ſeruos. Benedicta ſint dei iudicia in omnis gubernationis mundi prouidentia, ſeu per monarchas, ſeu per reges, ſeu per tyrannos, ſeu etiam per immiſſiones, per angelos malos, & quaſcunq; poteſtates, quia ſancta & iuſta ſemper ſunt & uera. Octaua:

19 Serui, ſubditi eſtote in omni timore dominis.] Qui fideles ſunt, & cōditionē aliquo euentu ſubierūt ſeruilem, dominis ſuis ſubditi ſint in omni timore propter deum,

deū. Et si ꝓpter deū, quidni in omni timore bono qui reuerētia est erga dominos ad similitudinē timoris domini: Et illi primo se subdunt illorū potentiæ, eamq; timent, quia deus illā dedit eis, qua possunt seruos secundū corpus affligere, & etiā si uolūt secū corpus perdere. Secūdo, timēt dños suos ob potentiā illā offendere, semper in potentia illa deū & dei ordinationē cogitantes Tertio, maxime si boni sint domini, dei benignitatē imitantes, et ipsi serui sint bonitate iuxta suam conditionē perfecti, qualis puto Philemon, dominus fuit, et Onesimus seruus: eo timore timent dominos, quæ syncera est in seruo sub deo reuerentia. Et seruorū quisq; horum timorum, amorem erga suos temporales dominos habet annexū in proportione timoris ad deum, de quo in sexta admonitione dictum iam est. Verū est tamen, quod hic timor quo terreni domini timentur, si comparetur ad timorem, quo deum in se timere, id est, reuereri debemus, quodammodo non est timor: ut amor ergo dominos, ad amorem erga deum, quodammodo non est amor, sed quædam refulgētia, & (ut sic dicam) submicatio diuini timoris & amoris. Est etiā timor quidam uel potius labes & prolapsio timoris, quo serui timent pœnas, quas & habent obiectum sui timoris, non potentiam à deo, non dei ordinationē, & dominus est eis terrori, ut crudelitatis simulachrum: & hic timor uilis, pure ser uilis & malus est, quo neque dominus terrenus, tanto minus deus timeri debet. Imò hic est diabolicus, & eo timore deum timet diabolus, à quo & malis seruis erga dominos, & reprobis hominibus erga deum, hic timor instillat, huic timori odium, blasphemia, & omne uirus maligni adhæret. Cum timor domini hominibus suadetur, & hoc in loco ab apostolo, & à CHRISTI spiritu in aliis sacræ scripturæ locis: hunc diabolus insufflat, hūc ingerit, hunc suggerit, mentem cæcat ne uideant uerum dei timorem. Hunc igitur fugite serpentem, hunc anguem, hoc afflatus maligni uirus: & sentite de domino in bonitate semper, & gustate quoniā suauis est dominus, & estote ueri timorati, & ueri dei amatores. Et hæc ut de dominis & seruis: ita & de patribusfamiliâs & domesticis famulis intelligi possunt. Quandoquidem famuli, & si non simpliciter, sed pro mercede serui, timere & reuereri propter deum debent eum, cui deus dedit patrisfamiliâs potentiam & honorem. Sed quid si perfecti non sunt domini, ut pura reuerentia à seruis timeri nō possint, nónne subditi illis, & eos timebunt, ac etiam amabunt: Subditi sanè erūt, timebunt, & secundum deum amabunt, & in hoc maiorem gratiam obtinebunt apud deum, propter quem, & cuius contemplatione, eiusq; potentiam & ordinationem hæc faciunt. Ideo subdit Petrus:

2 » Non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis, Hæc est enim gratia, si pro
» pter dei conscientiam, sustinet quis tristitias, patiēs iniuste. Quæ enim est gratia,
» si peccantes & colaphizati suffertis: Sed si bene facientes, patiēter sustinetis, hæc
» est gratia apud deū. In hoc enim uocati estis, quia & CHRISTVS passus est pro
» uobis, uobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius. Qui peccatū non
» fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui cum malediceretur, nō maledicebat:
» cum pateretur, non cōminabatur: tradebat autem iudicāti se iniuste: qui peccata
» nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui, iustitiæ uiua
» mus, cuius liuore sanati estis. Eratis em̄ sicut oues errantes, sed conuersi estis nūc
» ad pastorem & episcopum animarū uestrarum.] Domini boni & modesti, sunt domini fideles, spirituales, & quodammodo Christiformes. Dyscoli autem sunt praui, austeri, maligni (id enim τοῖς σκολιοῖς designat) difficiles, morosi, modestis oppositi, habent tamen à deo dominandi potestatem. Nam omnis potestas à domino deo est: abusus & prolapsio, ab hominibus & à maligno euenit. Et prauis et austeris dominis, etiam subiectio & timor debetur propter deum. Primo: Quia

si subditi propter id quod cõscij sunt uoluntatis ordinationisq; diuinæ, molestias patienter ferunt, afflicti iniuste: gratiam obtinent apud deum, propter cuius ordinationem patiẽter iniuste patiuntur. Nam ipse iustus est. Et cum domini eam gratiam quam seruis imitatione benignitatis diuinæ deberent, nõ impendant: rependet eis deus atq; benefactum compensabit, insuper & pro iniusto supplicio, eisdẽ nouam addet gratiam. Secundo: Quia si serui solum cum peccarent in dominos, dominorumq; seruitia, molestias patienter ferrent, nulla gratia, nulla laus, nulla gloria (id enim κλέος significat) ipsis debetur neque à dominis, neque à deo. Sed quando nihil peccantes molestias æquanimiter ferunt propter deum, gratia est ipsis apud deum. Tertio: Ad hoc ipsum uocauit eos ad fidẽ dominus, ut sui ipsius essent imitatores. Atqui pro nobis passus est, non quia afflictione, cruciatu, aut morte dignum quicquam admisisset, sed ut nos redimeret, insuper & ut se nobis relinqueret sanctæ patientiæ exemplum, qui peccatum non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius: uirorum solus uere insons & uere innocens, imò ipsa exemplaris innocentia. Et omnia quidem passus est summa patientia, ut qui cum male dictis lacesseretur, maledicta non retaliabat: cum pateretur affligereturq; pœnis, uindictam non cõminabat, sed permittebat ut terrenus iudex ipsum iniuste condemnaret, siue ut Græcus codex habet, πάσχων οὐκ ἠπείλει, πάσχειν δὲ τῷ κρίνοντι δικαίως, id est, qui cum pateretur, non minabatur ultionem, sed uindictam faciendam tradebat relinquebatq; patri & deo qui iudicat omnia iuste, qui ait: Mihi uindictã, & ego retribuam. Tradebat ergo uindictam patri, qui uoluit ipsum insontẽ mori pro omnibus nobis plusquam sontibus, qui plusquam morte digni eramus. Et posuit in eo iniquitates omnium nostrum, omnium peccatorum nostrorum satisfactionem, suntq; omnia credẽtium peccata in cruce cum ipso affixa mortuaq;, æterni patris summa & inexcogitata benignitate, misericordia, miseratione in morte eius cõdonata, remissa, deleta, ut per eam nos mortui peccatis, & in resurrectione iustificati, iustitiæ uiuamus. Plagis eius nostrarũ animarum plagæ, quas pro nostris peccatis pati merebamur, sanatæ sunt, sicut scriptum est: Ipse autẽ uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, et liuore eius sanati sumus. Quomodo igitur (ad seruos inquit Petrus) uos non imitabimini eum, molesta quæq;, nihil etiã male meriti, patiẽter ferentes propter ipsum, qui pro uobis tam immeritas patienter passus est, qui tam insigne uobis reliquit exemplum, ut uos qui ad ipsum fide accessistis, sequamini uestigia eius. Sic enim in uetustis habetur latinorũ codicibus: Quia & CHRISTVS passus est pro uobis, uobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius: utrobiq; uobis secunda persona. Sic & Græce in castigatis (ut arbitror) tribus archetypis, ὅτι καὶ χριστὸς ἔπαθεν ὑπὲρ ὑμῶν, ὑμῖν ὑπολιμπάνων ὑπόγραμμον, ubi ὑμῶν καὶ ὑμῖν, uobis & uobis, sunt secundæ personæ, & monstrant seruis, ad quos Petri dirigitur sermo. Sed non solum pro seruis CHRISTVS passus est, illis relinquens exemplũ, sed pro nobis omnibus, & relinquens nobis omnibus, cuiuscunq; fuerimus conditionis exemplũ. Nónne igitur par est illos & nos omnes meminisse, nos olim fuisse oues errantes absq; pastore, in omne scelus proruentes, priusquam illa immensæ clementiæ bonitas nos per filium suum uisitasset: nunc autẽ nos prius auersos, de tenebris conuertit ad lucem, de errore ad ueritatẽ, de morte ad uitam, de infernali lupo ad cœlestem pastorem dominum nostrum IESVM CHRISTVM, episcopum & curatorem animarum nostrarum, per quem cognoscimus & adducimur ad cœlestẽ patrem. Cui per ipsum, & cum ipso omnis honor, decus, & imperium in omnia seculorum secula, Amen.

Deut. 32.

Esa. 53.

Ibidem.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

21 IMILITER & mulieres, ſubditæ ſint uiris ſuis, ut et ſi qui nō credūt uerbo, per [mulierum] conuerſationem ſine uerbo lucrifiant, cōſiderātes [in timore]
22 [ſanctam] conuerſationem ueſtram. Quarū non ſit extrinſecus [capillatura, aut circūdatio] auri, aut [indumenti ueſtimentorum cultus:] ſed qui abſcōditus eſt cordis homo in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu dei [locuples.] Sic enim aliquādo & ſanctæ mulieres ſperantes in deo, ornabant ſe, ſubiectæ proprijs uiris. Sicut Sarra obediebat Abrahæ, dominum eum uocans: [cuius] eſtis filiæ, benefacientes, & non pertimentes [ullam
23 perturbationem.] Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori uaſculo muliebri impartientes honorem, tanquā [cohæredibus] gratiæ uitæ, ut nō [impediantur]
24 orationes ueſtræ. [In fide autem] omnes [unanimes compatientes] fraternitatis amatores, miſericordes, [modeſti, humiles,] non reddentes malum pro malo, nec maledictū pro maledicto: ſed è contrario benedicētes, quia in hoc uocati eſtis, ut benedictionem hæreditate poſſideatis. Qui enim uult uitā diligere, & dies uidere bonos, coërceat linguam ſuam à malo, & labia eius ne loquantur dolum. Declinet à malo, & faciat bonū: inquirat pacē, & ſequatur eam: quia oculi domini ſuper iuſtos, & aures eius in [preces] eorum: uultus autem domini ſu
25 per facientes mala. Et quis eſt qui uobis [noceat,] ſi [boni] æmulatores fueritis? Sed etſi qd patimini propter iuſtitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, [ut non] conturbemini. Dominum autem [CHRISTVM] ſan-
26 ctificate in cordibus ueſtris. Parati ſemper ad [ſatisfactionē] omni poſcenti uos [rationē] de ea, quæ in uobis eſt, ſpe, ſed cum [modeſtia & timore,] conſcientiam habentes bonam, ut

ANNOT.

uxorum, γυναικῶν.

ἐν φόβῳ, cum reuerentia.

puram, caſtam, ἁγνήν.

qui ex plicatura capillorum, & circumpoſitione, ἐκ πλοκῆς τριχῶν, καὶ περιθέσεως. amictu palliorum ornatus, ἐνδύσεως ἱματίων κόσμος.

ſumptuoſa, precioſa res, πολυτελές.

cuius, ſcilicet Sarræ, ἧς.

ullo pauore, aut ullum pauorem, μίαν πτόησιν.

& cohæredes, καὶ συγκληρονόμοι. interrumpantur, ἐκκόπτεσθαι.

finis aũt, in ſumma, τὸ δὲ τέλος.

concordes, conſpirantes, ὁμόφρονες, συμπαθεῖς. affabiles, φιλόφρονες.

precem, δέησιν.

afflictionem affert, ὁ κακώσων.

rei bonæ, bonitatis, τοῦ ἀγαθοῦ.

neq;, μηδέ.

deum, τὸν θεόν.

defenſionem, reſponſionem, ἀπολογίαν. ſermonē, λόγον.

manſuetudine & reuerentia, πραότητος καὶ φόβου.

in eo quod detrahunt de uobis, † confundantur qui calumniantur uestram bonã in CHRISTO conuersationem. Melius est enim, ut benefaciẽtes (si uoluntas dei uelit) pati, quàm malefacientes. Quia & CHRISTVS semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret deo, [mortificatos] quidem carne, [uiuificatos] autem spiritu. In quo & his qui in carcere erant [spiritu] ueniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando [expectabant dei patientiam] in diebus Noë, cum fabricaretur arca in qua [pauci,] id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam. Quod & uos nunc [similis formæ] saluos facit baptisma, nõ carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in deũ per resurrectionẽ IESV CHRISTI ► à mortuis, qui est in dextera dei, ► deglutiens mortẽ, ut uitæ æternæ hæredes efficeremur: profectus in cœlum, subiectis sibi angelis & potestatibus, & uirtutibus.

† *ut malefactoribus,* ὡς κακοῦ ποιοῦ.

θανατωθεὶς, *mortificatus.* ζωοποιηθεὶς, *uiuificatus,* πνεύμασι. *spiritibus,* *semel expectabat dei patientia,* ἅπαξ ἐξεδέχετο τοῦ θεοῦ μακροθυμία. *paucæ,* ὀλίγαι. *exemplar,* ἀντίτυπον.

COMMENT. IN CAP. TERTIVM.

PROSEQVITVR Petrus apostolus nonam exhortationẽ, de uxoribus erga suos uiros, quæ est huiusmodi:

21 » Similiter & mulieres subditæ sint uiris suis, ut etsi qui non cre-
» dunt uerbo, per mulierum conuersationem, sine uerbo lucrifiant,
» considerantes in timore sanctam conuersationem uestram.] Nõ solum ad fideles mulieres quæ uiros habẽt fideles hic sermo dirigitur, uerumetiã ad eas quæ uiros habebant adhuc infideles, qui nõ credebãt euangelio, ut per sanctam earum cõuersationem possent uiuo exemplo operéq; lucrifieri CHRISTO, inseriq; ecclesiæ primũ illecti sine uerbo, dum ipsi intuunt puram & castam earũ cõuersationẽ et uitam. Sed qua uelit eas conuersatione esse, quóue ornatu placere uiris suis, subdit dicens:

22 » Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumẽti ue-
» stimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate
» quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu dei locuples. Sic em aliquando &
» sanctæ mulieres sperantes in deo ornabant se, subiectæ proprijs uiris. Sicut Sarra
» obediebat Abrahæ, dominum eum uocans, cuius estis filiæ benefacientes, & non
» pertimentes ullam perturbationem.] Mulieres mundanæ student placere uiris suis eo ornatu qui foris apparet, ut cincinnis & crispatura capillorum, circumpositione auri, nunc à fronte & capillis, nunc à collo pendentis, & in uestitus multiplicitate, imò curiosa superfluitate & uanitate indumentorum. Sed tali ornatu nõ uult apostolus CHRISTI, spirituales mulieres studere uiris suis placere, uerum eo qui est interior homo, homo cordis, homo genitura dei innouatus in incorruptibilitate spiritus mansueti et quieti: qui licet spiritus sit absconditus hominibus, deo tamen est apertus & admodum sumptuosus atq; preciosus. Hoc siquidem ornatu placuit Sarra Abrahæ, ipsum uocãs dominum. Abraham, figura dei patris,

Isaac

Isaac, filij Sarra, ecclesiæ. Abraham filium suum deo sacrificium uoluntate obtulit. Deus pater, filium suum uolũtate & exequutione sacrificium pro hominibus dedit. Isaac post immolationis propositum cum patre uenit. CHRISTVS post immolationem rediuiuus, ad patrem ascendit, qui & ad dexteram eius residet, sedẽs in sempiternum. Quæ ergo interiori ornatu obedientiæ, modestiæ, mansuetudinis, taciturnitatis, puritatis, & castitatis studẽt placere uiris suis, filiæ sunt Sarræ, id est ecclesiæ, dum sic sancte conuersantur, nec ullo pauore uirorum suorũ, qui in immodestas & loquaces cadere solet concutiuntur. Quales etiã & nonnullæ aliæ sanctæ mulieres in figura præcessere, sic subiectæ uiris suis, placẽtes: ut Rebecca, Rachel, Asenec, & quæ similes illis fuere. Decima:

33. Viri, similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori uasculo muliebri impartientes honorem, tanquam & cohæredibus gratiæ uitæ, ut non impediantur orationes uestræ.] Viri uxoribus suis congredi debent, non uelut pecora ignorantes, sed uelut cognoscentes, & scientiam dei habentes, prolis habendæ gratia, & sanctæ quidem prolis, cum hoc contubernium quodammodo sit mysterium & symbolũ CHRISTI & ecclesiæ. Quare sancta & casta, et minime intemperans, uel lasciuadebet esse huiusmodi communio. Et qui hoc modo conuersantur infirmiori uasculo muliebri, quod à deo ordinatũ est, ut solũ adferat filios, sanctamq; CHRISTO prolẽ: infirmiori naturæ deferũt honorem, ut CHRISTVS ecclesiæ. Et ut ecclesia cum gignit, ex filijs naturæ filios CHRISTI, à laude non cessat & orationẽ: sic nec uiri ob indiscretum thorũ cum sanctis uxoribus suis à laudibus & gratiarumactione beneficiorum dei cessare non debent, ut qui cum suis uxoribus cohæredes sunt gratiæ & immortalis & æternæ uitæ. Vndecima:

24. In fine autem, omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: sed è contrario, benedicẽtes, quia in hoc uocati estis, ut benedictionẽ hæreditate possideatis. Qui enim uult uitam diligere, & dies uidere bonos, coerceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum. Declinet à malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam. Quia oculi domini super iusto & aures eius in preces eorum: uultus autem domini super facientes mala.] Finẽ, summam, & anacephalæosim prædictarũ adhortationũ esse uult, ut omnes, tam uiri quàm mulieres, concordes sint, affectu conspirantes fratrum, id est, fidelium amatores, ex intimis præcordijs misericordes, affabiles, non rependentes alijs malum pro malo, conuicium pro conuicio, sed contra, bonum pro malo, & bonum uerbum pro conuicio, etiam bonum & benedictionem ipsis à deo imprecantes: cum id scire debeant, seipsos dei benignitate ad hoc uocatos esse, ut benedictionẽ & æternam quidem benedictionem à deo hæreditate possideant, & cum insuper hoc spiritus sanctus per regiũ psaltem ipsis insinuet, cum ait: Quis est homo qui uult uitam, diligit dies uidere bonos? Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo, & fac bonum, inquire pacem: et persequere eam. Oculi domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Vultus autem do- *Psal. 33.*

25. mini super facientes mala. Duodecima:

Et quis est qui uobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Sed etsi quid patimini propter iustitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, ut non conturbemini. Dominum autẽ CHRISTVM sanctificate in cordibus uestris.] Nullũ nocumentum, nullam afflictionem timere debemus, si sumus CHRISTI imitatores. Hi enim uel soli sunt imitatores boni. Si aliud imiteris quàm CHRISTVM, non es perfectus imitator. At à quibus nocumenta timeremus? An à cœlestibus spiritibus? at nobis sunt propitij, & cum cœlestibus iniuimus amicitias. An à dæ-

monibus & malis angelis? Sed fides, ſed ſpiritus CHRISTI, ſed CHRISTVS ipſe qui nobiſcum eſt, illis eſt potentior. An à bonis hominibus? ſed nobiſcū concordant, nos amant, & in re quacunq; poſſunt adiuuant. An à malis hominibus? Sed an nocent, cum nobis eo ipſo quod nos affligunt, aut quod nobis nocere putant, beatitudo accreſcit, & in cœlis gratiæ merces ad quam fidelis animus uel
Matth. 5. maxime aſpirat? cum ſcriptum ſit: Beati qui perſequutionem patiuntur propter iuſtitiam. Ergo nullus metus nocumentorum, afflictionum aut pœnarum nos ar
Lucæ 12. cere debet à ſancta illa CHRISTI imitatione. Et quid etiam eos timeremus, quid eo metu trepidaremus quaſi infideles? cum ſcriptum ſit: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Sed dominum noſtrum IESVM CHRISTVM in cordibus noſtris ſanctificemus, ipſum ſolū quippe qui deus eſt timentes ac reuerentes, ſed timore puro, ſancto atq; caſto. Decimatertia:

26 „ Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti uos rationem de ea quæ in uo„ bis eſt ſpe: ſed cum modeſtia & timore, conſcientiam habentes bonam: ut in eo „ quod detrahunt de uobis, confundantur qui calumniantur ueſtram bonā in CHRI„ STO conuerſationem. Melius eſt enim ut benefacientes (ſi uoluntas dei uelit) pati, „ quàm malefacientes. Quia & CHRISTVS ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, „ iuſtus pro iniuſtis, ut nos offerret, mortificatos quidem carne, uiuificatos autem „ ſpiritu. In quo & his qui in carcere erant ſpiritu ueniens prædicauit: qui increduli „ fuerant aliquando, quando expectabant dei patientiam in diebus Noë, cum fabri „ caretur arca, in qua pauci, id eſt octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam. Quod et „ uos nunc ſimilis formæ ſaluos facit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed „ conſcientiæ bonæ interrogatio in deum: per reſurrectionē IESV CHRISTI à „ mortuis, qui eſt in dextera dei, deglutiens mortem, ut uitæ æternæ hæredes effice „ remur, profectus in cœlum, ſubiectis ſibi angelis, & poteſtatibus, & uirtutibus.] Si quis etiam infidelis petit à nobis ſermonem de ſpe quam in CHRISTO habemus uitæ æternæ, parati eſſe debemus ad defenſionem, ſiue ad reſponſionem (id enim πρὸς ἀπολογίαν ſignat) cum modeſtia tamen, et dei timore. Et quomodo propter iuſtitiam qui nullum timent nocumentum, nullam perſequutionem, ſed ſanctificant CHRISTVM in cordibus ſuis: formidarent facere uerbū ad defenſionē & tutamentum ſuæ fidei, et ſpei quam habent in CHRISTO, aut ad inſtructionē eorum qui petunt, ſi forte perſuaſi, communis participes efficiantur ſalutis? Id tamen facere debent cum modeſtia & dei timore, id eſt reuerentia, conſcientiā habentes nullo modo ſauciam. Et id quidem non ſolum quia hi mores chriſtianorū ſunt, ſed ut ij qui calumniantur ſanctam eorum in CHRISTO conuerſationē ac uitam, pudore ſuffundantur in eo ipſo quod de ipſis obloquuntur, & à propria conſcientia redarguti, dei miſeratione ad meliorem uitæ frugem trahantur. Hoc enim optat conſcientia eorum bona, modeſta & cum reuerētia exhibita ante illos ſuæ uitæ conuerſatio, ac fidei ſuæ defenſio ſiue manifeſtatio. Sunt & qui ex hoc loco intelligi uolunt, nos paratos eſſe oportere reddendæ rationi ad quemcunq; poſcentem rationem, Iudæum, gentilem, neophytum, de noſtra fide & ſpe. In qua re nimirum humana ratio non tam prudēter quàm fruſtra laboraret: cum fides noſtra & ſpes eorum ſint quæ ſunt ſupra noſtram rationem. Sed occaſionē præbuit interpres qui uertit: Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti uos rationem de ea quæ in uobis eſt ſpe. Græce habetur, ἕτοιμοι δὲ αἰεὶ πρὸς ἀπολογίαν πάντι τῷ αἰτοῦντι ὑμᾶς λόγον περὶ ἧς ἐν ὑμῖν ἐλπίδος, quod & uerti poterat: Parati autē ſemper ad reſponſionem omni petenti à uobis ſermonem de ea quæ in uobis eſt ſpe. Homonymum eſt enim, λόγος, ad rationem & ſermonem. Ratio magis ad contentionem, ſermo ad modeſtiā pertinere uidetur. Contentionem prohibet Paulus, dicens:

dicens: Si quis autem inter uos uidetur contentiosus esse, nos talem consuetudinẽ non habemus, neq; ecclesia dei. Videtur ergo rectius interpretandum fuisse, sermonem. Sed quem sermonem obsecro, nisi sermonem quod uerbum dei est, et fidelem in doctrina uitæ institutionem, non humanam de diuinis rationem, quæ nihil aliud est quàm obscura lucerna ad ostendendum in meridie solem. Quod si ratio de diuinis reddenda est, non alia reddi potest quàm diuina: ut cum interdũ aliquod uerbum dei, id est aliquis sermo nobis est opertum: per aliud uerbũ dei redditur nobis perfectum, dilucidum & apertum. Et hunc qui modo dictus est, arbitror huius loci esse sensum: non quem uult schola, humane non diuine, rationabiliter nõ spiritualiter diuina discentiũ. Est enim diuinorum fidei sensus, super rationem & intelligentiam. Secundo: Illis melius est, ut benefacientes, id est, uitam suam in CHRISTO, imò CHRISTVM in sua uita manifestantes, modeste & reuerenter ijs qui de ea re eos interrogant, respondendo, patiantur, si ita diuinæ uoluntati uisum fuerit, quàm malefacientes, id est non respondentes, aut nõ cum modestia satisfacientes. Nam etsi hominum pœnas, dei tamen ultionem nõ euadent. Scriptum enim est: Omnis qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in cœlis est. Ergo sustineamus, & sine ullo timore modeste & reuerenter defendamus fidem & spem quam habemus in CHRISTO, synceram, puram, sanctam ad populum & quoscunq; per uerbum dei habentes sermonem: & quantumcunq; possumus, ad hanc gratiam cum modestia & reuerentia omnes alios qui eam non habent, per spiritum fidei illuminemus. Ad quod exemplum habemus dominum nostrum IESVM CHRISTVM, qui semel pro peccatis nostris mortẽ oppetijt, iustus pro iniustis: ut mortuos carni, uiuificatos autem lumine fidei, offerret deo patri: qui mortificatus quidem fuit secundum carnem, sed uiuificatus secundum spiritum: in quo semper uiuens, spiritu descendit ad inferos, non quidem ut ab eo teneretur, qui erat inferni uictor, destructor, spoliator: sed ut illuminaret spiritus qui erãt in carcere, & prædicaret eis qui aliquando increduli fuerant, ut temporibus Noë, cum eos dei longanimitas sustinuit, tolerauit, expectauit dum extrueretur arca in qua pauci, id est, octo animæ, Noë, Sem, Cham, Iaphed: & quatuor eorum uxores, saluæ factæ sunt per aquam, quæ figura erat baptismi, qui nos saluos facit, non ablutione externa sordium carnis, sed ablutione interna conscientiæ interrogatæ, examinatæ, purgatæ fide in deum, per resurrectionẽ IESV CHRISTI à mortuis, qui est in dextera dei patris sedens, mortis destructor, uitæq; largitor, ut uitam æternã hæreditate percipiamus, qui profectus in cœlum, sublimatus est super angelos & potestates, & uirtutes, id est, omnem cœlestium spirituum sublimitatem, in eadẽ cum patre maiestate. Cui honor & gloria in sempiterna secula. Amen.

1. Corinth. 11.

Matth. 10.

CAPVT QVARTVM.

ANNOT.

27 HRISTO igitur passo ➡ [in] carne, & uos eadem cogitatione armemini, quia qui passus est in carne, desijt à [peccatis,] ut iam nõ [desiderijs] hominum, sed uoluntate dei quod reliquum est in carne uiuat temporis. Sufficit enim præteritum tempus † ad uoluntatem gentium cõsummandam, his [qui am-

† *pro nobis*, ὑπὲρ ἡμῶν.

peccato, ἁμαρτίας.

concupiscentijs, ἐπιθυμίαις.

† *uitæ*, τοῦ βίου.

qui ambulabãt in lasciuijs, con

bulauerunt in luxurijs, desiderijs,] uinolentijs, comesationibus, potationibus, ebrietatibus, & [illicitis idolorum cultibus.] In quo admirãtur non concurrẽtibus uobis in eandem [luxuriæ confusionem:] blasphemantes, qui reddent rationem ei, qui paratus est iudicare uiuos & mortuos. Propter hoc enim & mortuis euangelizatum est: ut iudicentur quidem secundum homines in carne, uiuant autem secundum deum in spiritu. Omnium autẽ finis [appropinquabit.

28 Estote itaq; prudentes,] & uigilate in oratio
29 nibus. Ante omnia autem ► mutuam [in uobismetipsis charitatem continuam] habẽtes: quia charitas [opperit] multitudinem pecca-
30 torum. Hospitales inuicem sine [murmura-
31 tione.] Vnusquisq; sicut accepit [gratiam,] in alterutrũ illam administrantes: sicut boni dispensatores [multiformis] gratiæ dei. Si quis loquitur [quasi sermones] dei: si quis ministrat, tanquã ex [uirtute,] quam [administrat] deus, ut in omnibus [honorificet] deus per IESVM CHRISTVM: cui est gloria & imperium in se-
32 cula seculorum. Amen. [Charissimi, nolite peregrinari in feruore,] qui ad tentationem uobis fit, quasi noui aliquid uobis contingat: [sed communicantes] CHRISTI passionibus, gaudete, ut & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine CHRISTI, beati eritis: ► [quoniam quod est honoris, gloriæ, & uirtutis dei, & qui est eius spiritus, super uos requiescet.] Nemo autem uestrũ patiatur quasi homicida, aut fur, aut † [maledicus, aut alienorum appetitor.] Si autem ut christianus, non erubescat, glorificet autem deũ [in isto nomine,] quoniam tempus est ut incipiat iudicium à domo dei. Si autem primũ à nobis, quis finis eorum qui nõ credũt dei euangelio? Et si iustus quidem [uix saluabitur,] impius & peccator ubi [parebunt?] Itaq; et hi qui patiuntur secundum uoluntatem dei, fideli [creatori] commendent animas suas [in benefactis.]

COMMENT.

cupiscentijs, πρευομένους ἐν ἀσελγίαις, ἐπιθυμίαις.

prophanis idololatrijs, ἀθεμίτοις εἰδωλολατρίαις. *luxus refusionẽ*, ἀσωτίας ἀνάχυσιν.

appropinquauit. Estote ergo temperantes, ἤγγικε. σωφρονήσατε οὖν.

ad, erga uosipsos charitatem extensam, τὴν εἰς ἑαυτοὺς ἀγάπην ἐκτενῆ. *opperiet*, καλύψει.

murmurationibus, γογγυσμῶν. *donum*, χάρισμα.

uariæ, πικίλης.

tanquam eloquia, ὡς λόγια.

fortitudine, ἰσχύος *subministrat*, χορηγεῖ. *glorificetur*, δοξάζηται.

Dilecti, ne miremini in incendio uestro, ἀγαπητοὶ, μὴ ξενίζεσθε τῇ ἐν ὑμῖν πυρώσει. *sed quatenus communicatis*, ἀλλὰ καθὸ κοινωνεῖτε.

quia qui est gloriæ, et qui est spiritus dei super uos requiescit † ab illis quidem blasphematur, à uobis autẽ glorificatur, ὅτι τὸ κατὰ δόξης καὶ τοῦ θεοῦ πνεῦμα ἐφ' ὑμᾶς ἀναπαύεται. κατὰ μὲν αὐτοὺς βλασφημεῖται, κατὰ δὲ ὑμᾶς δοξάζεται. † *maleficus, aut alienorũ curiosus explorator* κακοποιὸς ἢ ἀλλοτριοεπίσκοπος. *in hac parte*, ἐν τῷ μέρει τούτῳ.

difficulter saluatur, seruatur, μόλις σώζεται. *comparebit*, φανεῖται. *conditori*, κτίστῃ.

beneficentia, ἀγαθοποιΐᾳ.

COMMENT. IN CAP. QVARTVM.

LIAM ponit inſtructionem Petrus apoſtolus, inſtruẽs gentiles ad CHRISTVM uocatos, & iam ad chriſtianiſmũ receptos, & in ipſis nos chriſtianos, qui CHRISTI nomen portamus, & uitam chriſtianam profitemur, oportere in carne eſſe paſſos. Et hæc eſt decimaquarta adhortatio.

27 CHRISTO igitur paſſo in carne, & uos eadem cogitatione armamini. Quia
» qui paſſus eſt in carne, deſijt à peccatis, ut non iam deſideriis hominum, ſed uolun
» tate dei, quod reliquum eſt in carne uiuat temporis. Sufficit enim præteritũ tem
» pus ad uoluntatem gentium conſummandam: his qui ambulauerunt in luxurijs,
» deſideriis, uinolentijs, cõmeſationibus, ebrietatibus, & illicitis idoloruũ cultibus.
» In quo admirantur, non concurrentibus uobis in eandem luxuriæ confuſionem,
» blaſphemantes: qui reddent rationẽ ei qui paratus eſt iudicare uiuos & mortuos.
» Propter hoc enim & mortuis euangelizatum eſt, ut iudicentur quidem ſecundũ
» homines in carne, uiuant autem ſecundum deum in ſpiritu. Omnium autem finis
» appropinquauit.] Primo, decet uocatos accitoſq; & ad CHRISTI gratiã admiſſos, eſſe paſſos in cruce, mortuoſq; carni: cũ CHRISTVS fuerit paſſus in carne, id eſt, mortuus carni, nõ ſolum cum animã poſuit in cruce pro nobis, ſed toto temporalis uitæ ſuæ tempore. Siquidẽ eſſe paſſum in carne, eſſe mortuũ carni, eſt concupiſcẽtias peccati in carne eſſe extinctas atq; mortuas. At quis neſcit CHRISTVM peccati fomitem non habuiſſe, & ideo nullas unquam peccati habuiſſe concupiſcentias, ſed ſemper in carne fuiſſe paſſum, carniq; mortuũ? Et ipſi debẽt illa cogitatione armari: oportere ſe in carne eſſe paſſos, mortuoſq; carni. Quia quiſquis ex nobis hoc modo paſſus eſt & mortuus, deſijt à peccatis, ut non iam ſecundum concupiſcentias carnalium hominum uiuat, reliquum tempus quod in mortua carne, id eſt concupiſcentijs mortificata manet, ſed ſecundum dei uoluntatem. Quod mortuis peccatis, iuſticiæ dei quæ eſt per fidem IESV CHRISTI uiuentis, gratia & ſpiritus dei donare poteſt. Secundo: Sic ad CHRISTVM admiſſis olim gentilibus ſufficiebat præteritũ tempus, in quo deſideria carnis compleuerant, ambulando in laſciuijs, concupiſcentijs, & temulentijs, crapulis, compotationibus, & nefandis idololatrijs. Hæc enim ſunt opera uiuentium in carne, & nondum per fidem & ſpiritum Chriſti carni mortuorum, qui non amplius ſecundum carnem ambulabant, ſed ſecundum ſpiritum, caſti, abſtemij, ſobrij, omnem luxum cibi, potus, ueſtium uitãtes, & ſancti dei cultores. Quorum tam diuerſam conuerſationem uidentes, admirabantur ij qui remanſerant carnales & perditi homines, quod ex ipſorum turba acciti fideles, non concurrebant in eandem luxuriæ ſuperfluitatem, in tantã immundiciæ colluuiem: & blaſphemabant, execrandaq; conuicia intorquebant, et maledicta in eos euomebant. Qui nihilominus & de operibus carnis, & de conuicijs reddituri ſunt rationem ei, qui in promptu habet iudicare uiuos et mortuos: uiuos quidem ſpiritui, & mortuos carni qui boni, iuſti & fideles ſunt, & uere uiuentes: & mortuos ſpiritui, uiuentes autẽ carni qui mali, iniuſti & infideles ſunt & uere mortui. Tertio: Eã ob cauſam gentibus quæ omnes per fidei defectum, per idololatriã & dei ignorantiam mortuæ erant, prædicatum eſt euangelium, ut apud homines quidem iudicẽtur, diſcernantur, dinoſcantur mortuæ carni, apud deum autem uiuant ſpiritui. Quarto: Omnium finis, temporaliſq; uitæ terminus in proximo eſt. Quid igitur pro tam exiguo temporalis uitæ curriculo carni uiuemus, ſpiritui mortui, ut perpetuo deo moriamur? Paſſi igitur in carne, mortuiq; carni, id eſt, per ſpiritum fidei plene ſecundum carnis concupiſcentias mortificati, ſed ſpiritui uiuentes, momentaneã uitam tranſi-

gamus. Et certe hæc inſtructoria adhortatio ad nos pertinet, & utinã ſufficiat nobis præteritum tempus quod cum rubore & uerecundia recogitemus male tranſactum, imò peſſime ad CHRISTI iniuriã conſumptum in luxurijs, deſiderijs carnis, in comeſationibus, in ebrietatibus, & alieno à uero deo cultu per uerbum dei, quod iam pleriſq; in locis ſyncere pureq; adnunciatur, reſumpta fide ſpirituq; fidei, & nobis per hanc gratiã ad CHRISTVM innouatis. Hic ſpiritus eſt per quẽ ſunt uere fideles, & mortui carni: ſed CHRISTO ſpirituiq; eius uere uiuẽtes. De cimaquinta:

28 » Eſtote itaq; prudentes, & uigilate in orationibus.] Eſtote prudentes, uocabulum quo hic utitur Petrus σωφρονήσατε deſignat potius temperãtes & modeſti eſtote quàm prudentes. Iubet igitur temperantiam uitæ, non modo ſecundũ carnem, ſed ſecundum mentem, quam ſequitur prudentia ſecundum deum. Vt enim intemperantia carnis quæ eſt in nimia occupatione cibi, potus, & uoluptatũ corporearum, impedit corporis uigilantiam, & debitum erga homines officium, ut qui eiuſmodi ſunt reputenẽ inter carnales, imprudentes: ſic nimia occupatiomentis circa uarias diſciplinas alienas à uerbo dei, tanquã uarias eſcas & ueneres mentis, mentis uigilantiam impedit, ut officium præſtet erga deum, quod maxime illi debetur, quod eſt orare ſpiritu & mente, & ſunt eiuſmodi inter ſpirituales, imprudentes. Primum igitur eſt, ut temperantes mente ſimus: deinde ſeduli, attẽti & uigilantes in ijs quæ dei ſunt, ſpiritus & fidei: quod ſequitur corporis & mentis temperantiam. Attenti dico fide & ſpiritu ad dei ſeruitium, ad orationes puras & ſanctas, quas ſecretus opifex ſpiritus in fidelium mentibus operatur, qui eſt ſanctorũ infuſor cogitatuum. Quis enim terrenorum regum ſeruos intemperãtes, ac proinde hebetes & imprudentes, corpore pigros, deſides & ſomnolentos diligeret: Quid igitur de æterno rege ſpirituum dicemus: Decimaſexta:

29 » Ante omnia autem, mutuam in uobiſmetipſis charitatem continuam habẽtes:
» quia charitas opperit multitudinem peccatorum.] Cum officium ſpiritualium erga deum ſit orare, deumq; pure ac ſancte colere, ad quod ordinatur per præcedentem σωφροσύνην καὶ νήφωσις, id eſt temperantia, modeſtia, ſobrietas ac uigilantia, ſuntq; orationes ſanctorũ, ſpiritualia thura, ſpiritualiaq; thymiamata. Thura autem & quæq; thymiamata ſine igne, deo nunquã offeramus, orationes ſanctorum nunq; ſunt offerendæ ſine flammata ad deum charitate, quæ orationes eorũ incendit, incenſæq; ad deum tranſeunt. Quapropter cum ille ignis quo thymiamata ſpiritus incenduntur, maior ſit & permanentior, & (ut ſic dicam) ignis ſacrificij inconſumptibilis: iubet Petrus hanc fidelium charitatem eſſe extenſam ad fratres, iugemq; ac perpetuam: ſed & uiciſſim illorum, mutuam atq; reciprocam. Et has perinde ac ignitos carbones, in acerra animæ ſeſe mutuo ad diuinorũ thymiamatum incendia purumq; dei cultum fouẽtes. Et ut erga deum nihil eſt quod eminentiæ præcedat ſpiritus charitatem: ſic erga fratres omnia præcedere debet huiuſmodi charitas, quæ dei donum eſt, ut eam non à ſe & ſuis uiribus, ſed à deo expectet. Et inſuper hanc habentibus affert utilitatẽ, quod ſicut ignis purgat omnia quæ illi apponuntur, ſic charitas ſpiritus ad deum primo, & ſubinde ad proximos & fratres, imò & ad inimicos ignis eſt purgans peccata: ſicq; anima & carne
1. Cor. 13. per eam puriore auro effecta, opperit multitudinẽ peccatorum, cum charitas nõ æmuletur, non agat perperam, non infletur, non ſit ambitioſa, nõ quærat quæ ſua ſunt, non irritetur, non cogitet malum, non gaudeat ſuper iniquitate, congaudeat autem ueritati, omnia ſufferat, omnia credat, omnia ſperet, omnia ſuſtineat. Quid enim ex ſe caro, niſi quædam peccatorum infinitudo: fomes ſiquidem, id eſt, ingenita concupiſcentia, radix omnium malorum eſt. Decimaſeptima:

Hoſpitales

30 Hoſpitales inuicem ſine murmuratione.] Philoxeniam commendat, quæ eſt amicitia erga externos & peregrinos, quæ & hoſpitalitas dicitur: quæ non tam impletur ex ſuſceptione in materiali ædificio, & exhibitione materialis cibi & potus, quàm ex ſuſceptione in ſpirituali ædificio, cuius hoſpita quæ ſuſcipit, eſt charitas, & alimenta quæ miniſtrat, ſynt alimenta fidei & ſpiritus, quæ ſunt amicitia, beneficentia, & ſanctus fidei ſermo, per charitatem exhibita, & alimẽta, neceſſariaq; corporis quantum facultates & quoad poſſunt pro hoſpitum indigentia, & id charitas uult, & fidei ſpiritus, ut ſine murmuratione ſuſcipientium, & etiam ſuſceptorum fiat. Alioqui φιλοξενία dici non poſſet, quæ ex amicitia & dilectione nõ procederet: quandoquidem nihil aliud ſonat uocabulum, quàm amicitiæ affectum erga peregrinos. Decimaoctaua:

31 Vnuſquiſq; ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ dei. Si quis loquitur quaſi ſermones dei. Si quis miniſtrat, tanquam ex uirtute, quam adminiſtrat deus, ut in omnibus honorificetur deus per IESVM CHRISTVM. Cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.] Hæc exhortatio docet unumquemq; ſpiritualem uirũ ſeipſum metiri, non ſeipſum attendendo, ſed chariſma ſpirituale donũ, ſpiritualẽq; gratiam quam à deo conſequutus eſt, non ſibi, ſuiſq; uiribus tribuendo quicquã, ſed deo, uirtutiq; diuinæ. Et huiuſmodi gratias debet alius in alium ſiue domeſticum & indigenam, ſiue peregrinum & aduenam uiciſſim transfundere: tanquam boni diſpenſatores uariæ & multiplicis gratiæ dei, qui uarie diffundit ut uult, in uno gratiam ſermonis, in alio gratiam ſubminiſtrationis & ſubuentionis aliorum neceſſitatibus. Proinde qui gratiã ſermonis & doctrinæ conſequutus eſt, doceat, exhortetur, loquatur ſermones nõ tanquam ſuos, ſed tanquam dei ſermones. Qui uero adminiſtrationis donum, id eſt, gratiam conſequutus eſt, miniſtret non tanquam ex ſe & propria uirtute, robore, fortitudine, ſed tãquam ex ea quam illi indulſit deus. Et homo non ſe reſpiciat, non uane glorietur, non intumeſcat, ingratus deo qui donum largitus eſt: ſed ſolus deus in omnibus donis ſuis & ſuorũ donorum functionibus glorificetur per IESVM CHRISTVM dominum noſtrum, per quem, & in quo regeniti glorioſa cõſequimur dona. Cui eſt gloria et imperiũ in ſecula ſeculorum Amen. Deinde exhortatur eos ad quos ſcribit Petrus: ad patientiam in ijs tribulationibus quæ illis ſuperuenturæ erant, imò & quæ de proximo illis imminebãt, ut illo perſequutionum igne ueluti aurum probarentur, eos prædictione & prophetia præmuniens ne in tribulationibus deficiant, ſed patientia & ſpe in deo, uere euadant uictores. Vndeuigeſima:

32 Chariſſimi, nolite peregrinari in feruore qui ad tentationẽ uobis fit, quaſi noui aliquid uobis contingat: ſed communicantes CHRISTI paſſionibus gaudete, & ut in reuelatione gloriæ eius gaudeatis, exultantes. Si exprobramini in nomine CHRISTI, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & uirtutis dei, & qui eſt eius ſpiritus, ſuper uos requieſcet. Nemo autem ueſtrum patiatur quaſi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut chriſtianus non erubeſcat: glorificet autem deum in iſto nomine, quoniam tempus eſt ut incipiat iudicium à domo dei. Si autem primum à nobis, quis finis eorum qui non credũt dei euangelio? Et ſi iuſtus quidẽ uix ſaluabitur, impius & peccator ubi parebunt? Itaq; & hi qui patiuntur ſecundum uoluntatem dei, fideli creatori commendant animas ſuas in benefactis.] Chariſſimi, nolite peregrinari in feruore qui ad tentationẽ uobis fit: ſic Græce, ἀγαπητοὶ, μὴ ξενίζεσθε τῇ ἐν ὑμῖν πυρώσει, id eſt, Pluſq; dilecti, nolite admirari, nolite attoniti fieri in æſtuatione, in incẽdio tribulationum, quod ad probationem ueſtrã fit, ut admirari, attonitiq; reddi ſolẽt ij quibus noua,

repentina & inopinata mala superueniunt: sed ferte patienter, et gaudete potius. Primo: Quia hæc patienter, læto, æquoq; animo sustinentes, eritis communicātes passionibus CHRISTI, id est, cum ipso communes habentes passiones, communemq; crucē, ipsumq; imitantes, qui omni confusione contempta cum gaudio baiulauit sibi crucem: & id pro nobis, ut per id æterna redemptione inuenta, relinqueret nobis exemplum patientiæ et imitationis, utq; id ipsum cum eo commune haberemus quod patienter tribulationes feramus, & ut ipse pro nobis, & nos quoq; eius amore libenter patiamur, quibus tandem multum bonum accedet, & tantum bonum, ut in reuelatione, præsentia, & aduentu gloriæ eius (quod particulariter erit in transitu cuiusq; ex hoc mundo, & uniuersaliter omnium & maxime insigniter in die nouissimo) gaudeamus & exultemus gaudio inenarrabili & lætitia sempiterna. Secundo: Quia si contumelijs afficimur in nomine domini nostri IESV CHRISTI, quod illum confiteamur, beati sumus: quoniā spiritus gloriæ, spiritus honoris, qui est spiritus dei, super nos requiescit, qui infundit nobis gratiam patientiæ, & in tribulationibus, consolationis. Tertio: Patienter & exultanter sufferre debemus: cum nemo tunc nostrum patiatur ut homicida, aut fur, aut facinorosus, aut ut alienæ rei curiosus explorator, sed ut christianus, quodq; talis dicatur. Si autem ut christianus, nō erubescat hoc nomine contumelijs & opprobrijs affici & inceſſi, sed glorificet deum quod in hoc nomine patitur ut is qui est CHRISTI, & is qui CHRISTI nomen portat. Quartum: Est prædictio & prophetia, quia iam tempus adest in quo iudicium persequutionum incipiet à domo dei, qui sunt fideles CHRISTVM confitentes. Et qui in hoc tribulationum igne, in hoc persequutionum examine probati omni patientia sustinuerunt, saluabunt. Si ergo persequutionum & afflictionum iudicium primum à nobis, id est à fidelibus qui euangelio credimus, incipiet: quis finis, quis exitus eorū qui euangelio non credunt, id est, qui fidem nō habent, aut qui ad infidelitatē relabuntur? Quomodo diuinas euadent manus, quomodo uindictam & ultionem? Et si uix, & nō absq; periculo iustus, id est, fidelis in his tribulationibus quæ superuenturæ sunt, saluabitur & euadet, impius & peccator, id est infideles, aut ad uitia carnis & infidelitatem relabentes, aut in probationibus ipsis deficientes, cum sæuierit manus ultrix dei, ubi parebunt? Et hoc siue in hoc mundo punire uelit, siue altero, siue in utroq;. Et hanc sententiam Petri: Et si iustus quidem uix saluabitur, impius & peccator ubi parebunt? intellige de salute à tribulationibus, à quibus tribulationibus in hoc mundo uix iusti & fideles immunes fiunt. Nam (ut alio quoq; loco dicitur)
Hcb.12. Quem diligit dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. Sed inquies: Vnde id intelligam? Sanè ex calce capitis undecimi prouerbiorum, ubi dicitur: Si iustus in terra recipit, quanto maius impius & peccator? Nam suam ex hoc loco hic uidetur Petrus depromere sententiam. Et subdit: Proinde hi qui secundum uoluntatem dei tribulationibus probantur: fideli creatori commendent animas, nihil sibi fidentes, sed deo, & eius implorato auxilio patienter ferēdo, & quæcunq; possunt bona operando, uoluntati eius omnia committentes in se (ut dictum est) nihil, sed in eo per omnia fidentes qui fidelis est, & non derelinquit in se sperantes, & uires suggerit ad uincendū, & pro uictoria quam ipse donat dat gratiæ, dat misericordiæ suæ præmiū illam agnoscenti, & coronam gloriæ sempiternam. Et ipse pater cœlestis est gloriæ largitor, qui omnia largitur nobis in CHRISTO & per CHRISTVM. Cui per CHRISTVM & cum CHRISTO gloria, honor, potestas, maiestas, decus & imperium in omnia secula seculorum. Amen

CAPVT

CAPVT QVINTVM. ANNOT.

[Eniores] ergo qui in uobis
sunt obsecro, [consenior] &
testis CHRISTI passionũ, qui
& eius quæ in futuro reuelãda
est, gloriæ [cõmunicator:] Pa-
scite qui in uobis est gregem [dei, prouidentes]
non coacte sed spontanee secundum deum,
neq; turpis lucri gratia, sed [uoluntarie:] neq;
ut dominantes [in cleris,] sed [forma] facti gre-
gis ex animo. Et quum apparuerit princeps
pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ
coronã. Similiter adolescẽtes, subditi estote
senioribus. Omnes [em] inuicem [humilitatẽ]
insinuate: quia dominus superbis resistit, humi-
libus autem dat gratiam. Humiliamini igitur
sub potenti manu dei, ut uos exaltet in tempore
[uisitationis:] omnem solicitudinem uestram
proijcientes in eum, quoniã ipsi cura est de uo-
bis. Sobrij estote, & uigilate, quia [aduersa-
rius] uester diabolus tanquam leo rugiens, cir-
cumit quærens quem [deuoret.] Cui resistite
[fortes in fide, sciẽtes eandem passionẽ] ei quæ
in mundo est, uestræ fraternitati [fieri.] Deus
autem omnis gratiæ, qui uocauit nos in æternã
suam gloriam in CHRISTO IESV, modicum
passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitq;.
Ipsi gloria & imperiũ in secula seculorũ. Amẽ.
Per Syluanum fidelem fratrem uobis, ut ar-
bitror, [breuiter] scripsi, obsecrans & conte-
stans hanc esse ueram gratiam dei, in qua & sta
tis. Salutat uos ecclesia quæ est in Babylone
[collecta,] & Marcus filius meus. Salutate inui-
cem in osculo [sancto. Gratia] uobis omnibus,
qui estis in CHRISTO IESV. Amen.

83 presbyteros, πρεσβυτέρους. unà presbyter, συμπρεσβύτερος.

84 socius, consors, κοινωνός. Christi intendentes, χριστὸν ἐπισκοποῦντες. prompte, προθύμως. in cleros, aduersus, κατὰ κλήρων. formæ, exempla, τύποι.

85 subiecti, ὑποτασσόμενοι. humilitatẽ animi, ταπεινοφροσύνην.

86 competitor, ἀντίδικος.

87 deglutiat, καταπίῃ.

88 firmi fide, scientes eadem passiones, στερεοὶ τῇ πίστει, εἰδότες τὰ αὐτὰ τῶν παθημάτων. fiuri perfici, ἐπιτελεῖσθαι.

89 paucis, δι' ὀλίγων.

90 coëlecta, συνεκλεκτὴ. dilectionis. Pax, ἀγάπης. εἰρήνη.

COMMENT. IN CAP. QVINTVM.

ROSEQVITVR uicesimam adhortationem Petrus apostolus ad presbyteros, id est episcopos, de quorum sorte ipse erat attinentem, quæ est hæc:

83 Seniores ergo qui in uobis sunt obsecro, consenior & testis
" CHRISTI passionum, qui & eius quæ in futuro reuelanda est glo-
" riæ cõmunicator; Pascite qui in uobis est gregem dei, prouidẽtes non coacte, sed

» ſpontanee ſecundum deum, neq; turpis lucri gratia, ſed uoluntarie, neq; ut domi-
» nantes in cleris, ſed forma facta gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pa-
ſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam.] Sentẽtia huiuſmodi eſt: Ego Petrus, presbyteros qui inter uos ſunt obſecro & ipſe pariter presbyter, teſtis paſſionum, id eſt afflictionũ, opprobriorum, irriſionum, flagellorũ, & denicq; mortis CHRISTI, & particeps futuræ gloriæ quæ reuelabitur: obſecro inquam uos, paſcite gregem CHRISTI qui in uobis eſt. Sed quo cibo? Verbo perfecto dei, euangelicoq; pabulo. Magna benignitas Petri, qui è primis erat apoſtolorũ, qui omnibus interfuerat CHRISTI geſtis & afflictionibus, qui & de corona gloriæ à CHRISTO iam factus erat certior: tam benigne, tam humiliter precari & obſecrare ſymmyſtas ſuos, ſquos apoſtolorum ordinatio inſtituerat. Sed
Matth.11. hæc benignitas & humilitas uere erat eius quæ Chriſti eſt æmula, qui dixit: Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde. Et egregie Petrus, etſi arte piſcator, didicerat diſcipulus nõ hominis ſolũ, ſed dei: nõ carnis, ſed ſpiritus. Sic presbyteri, ſic epiſcopi, qui ſpiritu ſancto afflati ſunt & docti, mites ſunt, humiles, & benigni. Et quid eſt teſtis paſſionũ Chriſti, niſi ex præſentia teſtis, inſuper uerbo teſtis, teſtis opere & imitatione, fatigationes, labores, perſequutiones indefeſſe, fortiter et æquanimiter ubicq; ferẽdo? Quid futuræ gloriæ quæ reuelabit, ſiue quæ reuelanda eſt, niſi futuræ gloriæ nõ in hoc mũdo, ſed cõtinuo poſt exacta huius uitæ munia, et maxime in nouiſſima regeneratione, cũ ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, & receperit unuſquiſq; iuxta opera ſua mercedẽ miſericordiæ dei & gratiæ, in iuſto dei iudicio? Hæc futura gloria, quodammodo bis eſt futura: in egreſſu uidelicet huius ſeculi, & in conſummatione ſeculi. Illic futura in anima, iſtic inſigniter & conſummate in corpore & anima reuelãda. Quid eſt, paſcite gregẽ Chriſti qui in uobis eſt, niſi qui uobis cõmiſſus eſt tanq; paſtoribus ad paſcendũ? Sed qua alimonia? quo cibo? Doctrina ſanè cœleſti, & uitæ æternæ, et (ut iam dictũ eſt) doctrina euangelica, puroq; dei uerbo. Nã oues Chriſti nõ nouerunt uocẽ alienorũ, nolunt ad alium duci, niſi ad ſolum Chriſtum: nolunt alium prædicari, ſed ſolum Chriſtum. Et quomodo id faciendum, aperit: Si gregi ſuperintendant, & eũ moderentur non coacte, ſed uoluntarie, non ab turpe lucrum, ſed prompto animo & charitate, non dominantes, non dominium exercentes in eos qui ad ſortem & hæreditatem æternã uocati ſunt, quibus diuina ordinatione præfecti ſunt paſtores, ſed fiant exemplaria gregis, Chriſtum imitantes, qui non uenit miniſtrari ſed mi-
Matth.20. niſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis. Et ſi ita gregem pauerint: cum apparuerit CHRISTVS paſtorum princeps, reportabũt immarceſſibilẽ gloriæ coronã. Et hæc paracleſis et exhortatio qua exhortat, ne coacte intendant gregi, ne ob turpe lucrum, neq; ceu dominantes in cleros, in ſortes & hæreditates CHRISTI præſint: non tam ad eos ad quos ſcribebat pertinet, quàm præmunit eos qui futuri erant presbyteri ſiue epiſcopi, quo nõ coacte alimoniã uitalis euangelicæq; doctrinæ præſtarent, ſed in fide & charitate, quo non ſectarentur turpe lucrum, uelut mercenarij & negociatores, quo non eſſent ambitioſi honoris, non dominij, nõ ſe eleuarẽt, nõ ſuperbirẽt aduerſus cleros, id eſt ſortes domini (quod tam ad populum & eos qui ſubſunt, quàm eos qui in doctrina præſunt pertinet) non inquam dominarentur et inſoleſcerent in eos qui doctrina paſcuntur, tanquã grex ſuus eſſet, non Chriſti quod ipſe aliquando futurum ſpiritu prophetico præuidebat. Cum paſtoris ſecularis officium ſit paſcere gregem, non ſibi, ſed patrifamilias: etſi quicquam interit aut deperit in eius manus patrifamilias de omnibus rationem reddit. Sic agnoſcitur uerus paterfamilias, & fideles presbyteri & epiſcopi, paſtores, uel uerius miniſtri ueri paſtoris, qui ſolus omnia paſcit, ſic & plebes, ſortes

bes, sortes dei illis commissæ, greges CHRISTI, qui idē solus est pastor bonus, pastor ille uerus, princeps pastorum, & paterfamilias tanto cæteris melior, quanto homine deus, qui pastores coacte pascentes non uult. & quid eos uellet, quando ne terreni quidē tales uellent? necꝫ mercenarios, qui turpiter lucro inhiantes, ex grege domini sui solum lucrum quærant: necꝫ eos qui quæ domini sunt, sua faciant, dominium & tyrannidem in gregem exerceant: qui omnes non spirituales pastores, sed carnales sunt lupi, sese spirituales mentientes, in quos & ipse uerus pastor seuere animaduertet, præcipitaturus tandem eos in ultimum mortis æternæ supplicium. Sapientes igitur ꝯ erunt qui prædictam Petri suscipient adhortationem, non tanquā ab homine, sed à spiritu CHRISTI, sicuti uere est, uere pronuncia tam. Vicesimaprima:

54 Similiter adolescentes subditi estote senioribus. Omnes enim inuicem humilitatem insinuate: quia dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.] Præcedens exhortatio fuit de senioribus, id est presbyteris & episcopis, præsens, est de iunioribus, qui siue sint diaconi, quorum officiū erat ministrare episcopis, & pijs intendere officijs ab eo ordinatis, siue sint neophyti, qui ad fidei doctrinā adducuntur, meritō iubet illos episcopis subditos esse, & sanctis ipsorum parere iussis. Est etiam & de omnibus alijs, omnes, alius alij, ut par est, per charitatem & christianam humilitate m sint subiecti, profundam spiritus humilitatem præ se ferentes, quia scriptum est: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiā. Et hi sunt humiles spiritu, sicut illi, spiritu superbiæ inflati. Vicesimasecunda: Iaco. 4.

55 Humiliamini igitur sub potenti manu dei, ut uos exaltet in tempore uisitationis, omnem solicitudinem uestram proijcientes in eum, quoniam ipsi cura est de uobis.] Hæc humilitas spiritus, quæ ad omnes tam episcopos, quàm diaconos, quàm neophytos, & reliquos omnes, cuiuscunꝫ status sint aut conditionis pertinere debet, sola dei contemplatione, & immensæ eius potētiæ & maiestatis pendet. Quæ autē humana respicit, potius assentatio, simulatio, quàm humilitas est. Et illa, non hac nos iubet Petrus humiliari, imò semper esse humiles, deū semper attendendo, & nunquam ipsum præ oculis in omni aut uerbo aut facto nō habendo. Et qui se hoc modo humiliāt, exaltabuntur à deo in tempore uisitationis, siue particularis exitus nostri ex hoc mundo, siue in extremo iudicio. Verum non ad hoc se humiliare debent qui se humiliant ut exaltentur, nam solū deum, non se respicere debent: sed quia tantæ potētiæ, tantæ maiestati, omnis uel profundissima, & (ut ita dicam) si fieri posset abyssalis debetur humilitas, sine qua nō exaltat, qui solum sua gratia, bonitate & uoluntate exaltat quicquid exaltat: quia sic est eius sanctum beneplacitum, ut qui se exaltat humilietur, & qui se humiliat exaltetur. Matth. 23. Et qui se uere & profunde humiliant, omnem curam & solicitudinē suam in deū reijciunt, ab eo in omnibus pendētes qui potentissimus est, siue ea spiritualia sint, siue terrena, quia eius sunt, & ab eo sunt omnia. Et id quidem non ab re faciunt, quia deo de omnibus, & maxime de huiusmodi qui uere fideles sunt, filij & hæredes cura est. Quid enim ditissimo, optimo, potentissimo patri non fiderent? Et tales uult Petrus esse uere humiles, talesꝫ sunt humiles spiritu. Vicesimatertia:

56 Sobrij estote & uigilate, quia aduersarius uester diabolus tanquam leo rugiēs circuit, quærens quem deuoret. Cui resistite, fortes in fide, sciētes eandem passionem ei quæ in mundo est, uestræ fraternitati fieri. Deus autem omnis gratiæ, qui uocauit nos in æternam suam gloriam in CHRISTO IESV, modicum passos ipse perficiet, consummabit, solidabitꝫ. Ipsi gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.] Hæc exhortatio ad omnes pertinet fideles, etsi maxime ad eos qui tempore persequutionum erant, scribatur, quale fuit tempus Petri, & quod fermè ad

regnum usq; Constantini sequutum est, quos sobrios, temperatos, & castos corpore & mente esse iubet, quod facit spiritus fidei, quodq; ad fidem pertinet, & erga deum uigiles & attētos, quod maxime in oratione fieri debet. Vigilate (inquit dominus) & orate, ne intretis in tentationem. Et quæ enim sobrietas, temperātia, & castitas corporis & mentis maior ea quam parit uerbum dei, doctrina euangelij, doctrina fidei per spiritum CHRISTI: quæ quidē fides CHRISTI, quamdiu inconcussa & inuiolata seruatur, facit nos CHRISTI uirgines. Despondi ēm uos (inquit apostolus) uni uiro uirginem castam exhibere CHRISTO. Vt enim integritas & incorruptio corporis, est corporis uirginitas: sic integritas & incorruptio fidei, est mentis uirginitas. Vigilantia autem in fide & operibus fidei ad custodiam nostri nos tutos facit, & oratio ad deum auxilium desuper impetrans, nos defendit. Nec abs re sobrios & uigiles nos esse oportet, & magna ad hoc ipsum nobis incumbit necessitas, quia aduersarius noster diabolus non dormit, neq; dormitat, sed uigilans & sæuiens ad prædam tanquā leo rugiens circuit & obambulat, ut si quem inueniat dormientem in peccatis, aut ocioſum, aut fide lapsum, debilem, infirmum, incautum, & auxilio desuper destitutum, deglutiat, deuoret, absorbeat: ad quam quidem sobrietatem uigilantiam, & fidei integritatē uiolandam, omnibus insidijs & molitionibus tentat, & ad quam olim extinguendā, omne persequutionum genus excitabat. Sed quid illis aduersus huiusmodi maligni molitiones & persequutionum turbines, & earum excitatorem diabolum faciendum? Nihil sanè, nisi quod starent solidi in fide, tanquam immobiles colūnæ, diabolo insuperabile fidei suæ scutum obijcientes, & nequaquam persequutionibus succumbentes, cum scirent eas ipsas persequutiones quæ fratres eorum, reliquos uidelicet fideles in mundo premebat, cito finiendas, perficiendas, & cōsummandas. Et ne animo conciderent, ne se respicerent quasi de sua uirtute desperantes, aut in ea confidentes, sed deum omnis uictoriæ eorum salutis & liberationis autorem. Deus autem (inquit) omnis gratiæ, qui uocauit nos in æternam suā gloriam in CHRISTO IESV, ipse modicū passos perficiet, cōfirmabit, solidabitq;. Ipsi gloria & imperium in secula seculorum. Amen. Etsi quandoq; persequutiones uisibilium hostium aduersus fideles non excitet dæmon, quanquam difficile est ut aduersus eos qui eiusmodi sunt, non excitet, nisi superiore potentia quæ dei est ligatus sit: si (inquam) non excitet, non putemus tamen eum dormitare, & non circuire & obambulare iugiter, quærendo quos deuoret. Et quia multos, non ut par est sobrios, multos dormientes & incautos inuenit, multo quoque plures illo tempore deuorat quàm olim. Quare maxime nobis opus est, ut sobrij simus, ut uigilemus, ut fide solidi, insuperabili fidei scuto resistamus diabolo, & nouis bellis eius quæ bella non uidentur, sed crudeliora sunt omnibus persequutionibus, scilicet auaritiæ quæ omnimoda seculi est idololatria, ambitioni, simulationi, quibus uniuersus CHRISTI opprimitur orbis, fides incestatur, uigilantia sopitur, et omnis oratio & deuotio quæ ad solum deum respicere debet extinguitur: neque ex nobis ipsis qui nihil sumus, nisi peccatum quantum est ex nobis, qui nihil possumus, sed ex deo hanc expectemus uictoriam, hanc defensionem nostram, qui cunq; etiam & quantumcunq; uigilans, uictor euaserit. Illi ergo soli qui sua sola bonitate nos uocauit in CHRISTO IESV, & uincit in uincentibus: honor, gloria & imperium in infinita seculorū secula. Amen. Sic in laude & gratiarumactione finiens Petrus, quo ad præcipuas eius partes suam epistolam: nunc per quem epistolam misit ad uarias hinc inde dispersas ecclesias aperit, dicens:

Matth. 26.

2. Corinth. 11.

37 „ Per Syluanum fidelem fratrem uobis, ut arbitror, breuiter scripsi, obsecrās &
„ contestans hanc esse ueram gratiā dei, in qua & statis.] Syluanus & Timotheus comites

comites erant Petri & Pauli, & ubi oportebat, ad fidelium ecclesias, & ad earum confirmationem erant fideles tabellarij. Et contestatur illis ecclesijs Petrus, fidē CHRISTI in qua stabant, ueram esse dei gratiam & donum desuper, quod etiam omne excellit donum, ne quid sibi tribuerent, sed totum gratiæ & misericordiæ CHRISTI referrēt acceptum. Quas & obsecrat & hortatur quantum potest ut apostolus, & à deo ad uerbum ipsius fideliter annunciādum missus, ut in illa uera & admirabili dei gratia, doctrinaq; euangelica stent. Et tandem epistolæ finem faciens, in salutatione & sua & ecclesiæ cui in persona præerat, & in sancta imprecatione suam terminat epistolam, sic inquiens:

Salutat uos ecclesia quæ est in Babylone collecta: & Marcus filius meus. Salutate inuicem in osculo sancto. Gratia uobis omnibus qui estis in CHRISTO IESV. Amen.] Per Babylonem, eum Romam intelligere uolunt: sic eam in spiritu nuncupando, & conditionem illius tempestatis exprimendo, mundi huius habenas, male aurigante Nerone. Siquidem Babylon confusionem sonat. Faxit deus, ut temporibus nostris CHRISTVM uere agnoscendo, ipsa neq; nomen sibi retineat, neq; nominis quicquam applaudat, sed sit noua Hierusalē, ciuitas sancta, latus aquilonis, ciuitas regis magn. Vbicunque sanè CHRISTVS non regnat, ubi solus deus non colit, ubi fides & spiritus fidei non agitat, Babylon est: ibi rex Babylonis luciter, qui de cœlo cecidit, regnat. Marcus ille, est Marcus euangelista, est qui & creditur ex historiæ antiquitate euangelium Romæ scripsisse. Satis nobis est ut credamus scripsisse euangelium, ad id ipsum spiritu eum impellente: ubi autem alioqui, deo sit relictum, quem appellat Petrus filium: quia (ut uerisimile est) eum genuerat & acquisierat CHRISTO. Apud cuius matrē tempore persequutionis Herodis, ut Act. 12. scribitur, multi fidelium se recipiebant. Salutatio in osculo sancto, in osculo puro & spirituali, & nihil carnale habente, quod significat unionē, coniunctionemq; in illibata fide, quod & indicium est unitatis & pacis æternæ, quam & subinde eis omnibus imprecatur Petrus qui in Christo fideles sunt. Quales ad suam quidem gloriam, huius pacis & gatiæ participes nos faciat pater domini nostri IESV CHRISTI, cui est omnis potestas in cœlo & in terra, cui insuper cū filio eius domino nostro, & spiritu sancto omnis honor, decus, imperium & gratiarumactio in secula seculorum. Amen.

COMMENTARII IN EPISTOLAM CANONICAM PETRI priorem ad honorem domini nostri Iesu Christi, finis.

EPISTOLA BEATI PETTI APOSTOLI SECVNDA,

CAPVT PRIMVM. ANNOT.

1

[IMON] Petrus seruus & apostolus IESV CHRISTI, his qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidē in iustitia dei nostri & saluatoris IESV CHRISTI: gratia uobis & pax adimpleat in cognitione dei & Christi Iesu domini nostri. [Quo modo omnia no

Simeon, σιμεών.

Sicut omnia nobis diuina potestas eius, quæ ad uitam & pietā

bis diuinæ uirtutis, ſuæ quæ ad uitam & pietatem donata ſunt per cognitionem eius qui uocauit nos propria gloria & [uirtute, per quem] maxima et precioſa nobis promiſſa [donauit,] ut per [hoc] efficiamini diuinæ conſortes naturæ, [fugientes] eius quæ in mundo eſt, concu-
2 piſcentiæ corruptionem. Vos autem [curã omnem ſubinferẽtes,] miniſtrate in fide ueſtra [uirtutem:] in uirtute autem [ſcientiam,] in ſcientia autem, [abſtinentiam,] in abſtinentia aũt [patientiam,] in patientia autem [pietatem,] in pietate autem amorẽ fraternitatis: in amore aũt
3 fraternitatis charitatẽ. Hæc enim ſi uobiſcũ aſſint, & [ſuperent: nõ uacuos,] nec ſine fructu uos conſtituent in domini noſtri Ieſu Chriſti
4 cognitione. Cui eñ non [præſto ſunt] hæc: cæcus eſt, & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis ueterum ſuorum delictorum.
5 Quapropter fratres, magis [ſatagite,] ut per bona opera, [certam] ueſtram uocationẽ & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non [peccabitis] aliquando. Sic enim [abundãter] miniſtrabitur uobis introitus in æternũ regnũ domini & ſaluatoris noſtri IESV CHRISTI.

Propter quod [incipiam] uos ſemper commonere de his, [& quidem] [ſcientes,] & confirmatos uos in præſenti ueritate. Iuſtum autẽ arbitror quamdiu ſum in hoc tabernaculo, ſuſcitare uos in commonitione: [certus] quod ue lox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundum quod & dñs noſter IESVS CHRISTVS ſignificauit mihi. Dabo autem operã, & frequenter, habere uos poſt obitum meum ut horum
6 omnium memoriam faciatis. Non enim [indoctas] fabulas ſequuti, notam fecimus domini noſtri IESV CHRISTI [uirtutẽ & præſcientiam: ſed ſpeculatores] facti illius [magnitudinis. Accipiens] enim à deo patre honorem & gloriam, uoce delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipſum audite. Et hanc uocem

tem largita eſt, ὡς πάντα ἡμῖν τῆς θείας δυνάμεως αὐτοῦ τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν δεδωρημένης. *beneplacito, per quæ,* ἀρετῆς, δι' ὧν. *donata ſunt,* δεδώρηται. *hæc,* τούτων.

aufugientes, ἀποφυγόντες,

omni diligentia adhibita, σπουδὴν πᾶσαν προσενέγκαντες.

τὴν ἀρετήν. *cognitionẽ,* γνῶσιν. *temperãtiã,* ἐγκράτειαν.

ὑπομονήν. εὐσέβειαν.

abundent, non otioſos, πλεονάζοντα, οὐκ ἀργούς.

adſunt, πάρεστι.

operam date, σπουδάσατε.

firmam, βεβαίαν.

labemini, πταίσητε. *diuiter, opulenter,* πλουσίως.

non omittam, non negligã, ἀμελήσω. *licet,* καίπερ. *ſcientia præditos,* εἰδότας.

ſciens, εἰδώς.

id eſt, ut poſitis poſt obitum meũ horum memoriam facere.

doctas, argutas, σεσοφισμένοις *poteſtatem & præſentiam, ſiue aduentum, ſed ſpectatores,* δύναμιν καὶ παρουσίαν, ἀλλ' ἐποπται. *maieſtatis. Adeptus,* μεγαλειότητος. λαβών.

uocem nos audiuimus de cœlo allatã, cum essemus
8 cum ipso in mõte sancto. Et habemus firmiorem
propheticum sermonem, cui bene facitis attenden-
tes quasi lucernæ lucenti in loco [caliginoso] do-
nec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus ue-
9 stris. Hoc primũ intelligentes, quod omnis pro-
phetia scripturæ, propria interpretatione non fit.
Non enim uoluntate humana allata est aliquando
prophetia, sed spiritu sancto [inspirati,] loquuti sunt
sancti dei homines.

ANNOT.

obscuro, αὐχμηρῷ.

impulsi, agitati, φερόμενοι.

COMMENT. IN CAP. PRIMVM.

HAEC secunda epistola ad omnes fideles siue ex gentibus siue ex Iudæis sint ad CHRISTI gratiam acciti, pertinere uidetur, quia hi omnes coæqualem cum apostolis adepti sunt fidem. Quos & sancte salutat, cõsimili fermè salute, qua et in prima eos, ad quos scribebat salutabat: scilicet multiplicationem gratiæ & pacis in agnitione domini nostri IESV CRHISTI. Gratiæ quidẽ, quæ superno indultu uocatis ad fidem conceditur: pacis uero, quæ est tranquillitatis animi suauissimum donum, et quæ sic mentẽ serenat, ut nullis mundi turbinibus, nullis maligni insultibus quatiatur. Hæc enim est pax CHRISTI, & tranquillitas in agnitione eius, id est, quæ prouenit ex cognitione eius per fidẽ. Pacẽ, inquit, meam do uobis: non quomodo mundus dat, ego do uobis, non turbetur cor uestrum neq; formidet. Sic igitur suam sanctam orditur Petrus salutationem: Ioan. 14.

1. Simon Petrus seruus & apostolus Iesu Christi, his qui coæqualem nobiscum
» sortiti sunt fidẽ, in iustitia dei nostri, & saluatoris Iesu Christi, gratia uobis & pax
» adimpleatur in cognitione dei & Iesu Christi domini nostri: quomodo omnia no-
» bis diuinæ uirtutis suæ quæ ad uitam & pietatem, donata sunt per cognitionem
» eius, qui uocauit nos propria gloria & uirtute, per quem maxima & pretiosa no
» bis promissa donauit, ut per hoc efficiamini diuinæ consortes naturæ, fugientes
» eius quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem.] Gratia inquit, uobis, & pax adimpleatur, id est, multiplicetur, & quidem sic uobis multiplicetur, quẽadmodum omnia diuinæ potestatis eius quæ ad uitam, & uitam quidẽ sempiternã, & pietatem quæ est uerus dei cultus pertinet, nobis apostolis donata sunt per agnitionem eius qui uocauit nos per propriam gloriam, ut illi soli gloria & gratiarũ actio deberi intelligatur, & per propriam ipsius uirtutem ac potentiam, nõ enim nostræ potestatis est quod uocamur, per quæ propriam inq; gloriã ac uirtutũ pretiosa & maxima promissa nobis donata sunt, remissio scilicet peccatorum, liberatio à diaboli potestate, timore mortis, inferno, dei filiatio, cœlestis hæreditas, uita æterna. Non autem propter nos solum apostolos, sed ut uos per hæc efficiamini diuinæ naturæ consortes, filij dei, & cœlestis regni hæredes, effugiẽdo mundanæ concupiscentiæ corruptionem. Hæc continet sanctæ salutationis imprecatio, ut quæ omnes fideles qui æquam dignitate & sanctitate cum apostolis acceperunt fidem ad quos epistola peruenit, æqualem per omnia in agnitione Christi gratiam & pacem, & cætera omnia diuinæ regenerationis dona cum ipsis, etiam exoptat. Quod fieri non potest, nisi uiuant secundum uitam qua diuinæ generationis & naturæ effecti sunt cõsortes. Hæc est uita fidei & iustitiæ spiritus, quam doctrina parit euangelica. Ea quidem relicta quæ est secundum concupiscẽtiam

carnis & mundi,& quam carnis generatio præstat,non spiritus: & hæc est prima uita,quæ nõ est uita, sed corruptela uitæ per ignominiam & peccatũ primi Adæ. Illa secunda uita est,quæ uere est uita per gloriam & uirtutem supereminẽtem & omne malum euincentem secundi Adæ. Prima uita,terrena est & corrupta,& nõ uita:illa cœlestis & incorrupta,& uita æterna. Mox eos instruit quo pacto inuicẽ conuersari debent,cum sint in agnitione dei fideles, dicens:

2 » Vos autem curam omnem subinferentes,ministrate in fide uestra uirtutem, in » uirtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem pa» tientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in » amore autem fraternitatis charitatem.] Non satis est fidelibus fugere incorruptionẽ concupiscentiæ mundanæ uitæ & ueteris Adæ: sed & ad hocipsum omnẽ curam diligentiamq; adhibere debent,ut in fide sua subministrent uirtutem,id est studiosam in operibus fidei & charitatis,animi promptitudinem, malitiæ aduersantem. Et in uirtute illa scientiam,non humanam,sed dei scientiam,id est,cognitionem quam uerbum dei & spiritus eius præstant. In hac autem temperãtiam in sanctitate & sobrietate tam corporis quàm mentis, ut hæc non plus sapere uelit quàm oportet,cui & corporis temperãtia in cibo,potu,ieiunijs,uigilijs,& id genus cum discretione spiritus sit adiuncta. In hac temperãtia & sobrietate: patientiam,id est aduersitatum tolerantiam,& patientem diuinarum promissionum expectationem. In hac expectatione, pietatem,integrum,purum,et inuiolatum dei cultum. In dei cultu,fraternum amorem,id est, erga fratres & fideles Christi dilectionem. In fraterno amore,charitatem,quæ latius fraterno amore se fundit: nam ad deum super omnia, & insuper in deo & propter deũ ad omnes tum fideles tum infideles,notos & ignotos,amicos & inimicos. Et hæc ad deum charitas & proximum,quæ etiam se extendit ad inimicos,comes fidei,gratiæ & spiritus,cõsummatio omnium est. Qua sublata fraternus amor,nihil est: nulla pietas, sed uanus dei cultus: frustra est patientia,& promissionum dei expectatio: obscura est scientia,& uirtus omnis inualida. Imò sine ea fides & spes nihil possunt,sed utraq; mortua. Charitas siquidem,omnium charismatum uita. Proinde subdit Petrus:

3 » Hæc enim si uobiscum adsint & superent,non uacuos,nec sine fructu uos con» stituent in domini nostri Iesu Christi cognitione.] Hæc, inquit, uniuersa quæ » dicta sunt, charitate consummata, si uobis adsint & superent,id est,si ea feceritis, non excidetis aliquando à uita spiritus & iustitia fidei: nõ relinquent uos uacuos, & neq; sine fructu non modo bonorum operum, sed neq; mercedis uestrorum laborum,in cognitione,id est,fide domini nostri Iesu Christi, quam solum præstat
Rom.10. uerbum dei: nam fides est ex auditu, auditus autem per uerbum dei. Sed quis hic mercedis laborum, fructus? Vita æterna. Quæ uanitas & priuatio? Mors æterna. Et ex opposito,qui ad Christi cognitionem uenit,hæc non habens,& in his se nõ exercens: qualis nam sit,detegit Petrus, dicens:

4 » Cui enim non præsto sunt hæc,cæcus est, & manu tentans, obliuionem accí» piens purgationis ueterũ suorum delictorum.] Cui qui christianum nomen sibi adscíscit,hæc prompta, & quasi ad manum dei beneficio & gratia non adsunt,cæcus est: sed ea cæcitate quæ est ignorantia scientiæ dei, qua nulla deterior, nihil discernens,sed manu palpans, in obliuionem adductus purgationis suorum ueterũ delictorum,quæ in baptismo & filiorũ dei regeneratione illi facta est, uirtute nudatus,nudatus sciẽtia dei,patientia,pietate,fraterna dilectione,& uniuersa charitate uacuus,& sine fructu operũ spei & spiritus,& mercede uitæ æternæ. Quam obcausam magnifice hortatur fratres, id est fideles omnes Petrus, ut obnixe studeant hæc sibi in cognitione dei,in fide sola saluante,sola iustificante & uiuificãte

IESV

IESV CHRISTI, iugiter cognitione illa & fide per charitatē bona operando ſem per retinere, ut in promptu hæc ſibi adſint, & tanquam ad manū habeant, & ait:

5 » Quapropter fratres magis ſatagite, ut per bona opera certam ueſtram uoca-
» tionem & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquādo. Sic
» enim abundanter miniſtrabitur uobis introitus in æternū regnum domini & ſal-
» uatoris noſtri Ieſu Chriſti.] Magis ſatagite, id eſt, maiorem potioremq; curam adhibete, ut per bona opera uirtutis, ſcientiæ, temperantiæ, patientiæ, et reliquorum, in fide & cognitione Chriſti, certam et exploratā faciatis ueſtram uocationē & electionem, qua deus uos ineffabili clementia, miſericordia & benignitate uos uocauit ad fidem, & elegit ad hæreditatem filiorum dei, & felicitatem æternam. Illa ſiquidem illarum gratiarū fructus ſunt, & certiſſima diuinæ uocationis ſigna. Et certe qui hæc fide, quæ nō ſecus ſine charitate, quàm corpus ſine anima quicq; poteſt, operantur, non peccant aliquando, neq; à uia regni cœleſtis deflectentes aberrant unquam: nam ſic ipſis à deo non à ſeipſis, ne quis efferatur extollatúrue, abunde ſuppeditatur ingreſſus in æternum regnum quod eſt regnum cœleſte, & gloria æterna. Suppeditatur dico per hæc quæ ſupradicta ſunt, quæ nobis in fide à deo donata ſunt ad huiuſmodi cœleſtis regni ingreſſum neceſſaria. Et ſeipſum Petrus & illis & nobis præbet exemplum, ut quamdiu uiuimus in hoc mundo, non deſiſtamus admonere, adhortari, impellere fratres noſtros ad pietatē chriſtianam, etſi ſciētia dei abundent, & confirmati ſint in ueritate euangelica, dicēs:

12 » Propter quod uos incipiam ſemper commonere, de his, & quidem ſcientes &
» confirmatos uos in præſenti ueritate. Iuſtum autē arbitror, quamdiu ſum in hoc
» tabernaculo, ſuſcitare uos in commonitione, certus quod uelox eſt depoſitio ta-
» bernaculi mei, ſecundum quod & dominus noſter IESVS CHRISTVS ſigni-
» ficauit mihi. Dabo autem operam & frequenter habere uos poſt obitum meū, ut
» horum omnium memoriam faciatis.] Incipiam, non negligam, non omittā uos de his quæ ſcilicet fidei ſunt & cogitationis CHRISTI, cuiuſmodi ſunt, uirtus, ſcientia dei, temperantia, patientia, pietas, fraterna dilectio & charitas ſemper admonere, tametſi ſciatis & confirmati ſitis in præſenti ueritate, id eſt in CHRISTI & euangelij fide. Nec ab re ſe id facturum dicit, quia id iuſtum eſt cum ſit apoſtolus ad id officij commiſſus, & quia huiuſmodi iugis admonitio excitat etiam ſcientes & confirmatos, ne fidei & charitatis feruor tepeſcat. Eſt enim charitas ut ignis, quæ ut ignis flatu, ſic admonitione & ſancta adhortatione foueē, qui afflatus quidam eſt ſpiritus ſancti. Id etiam faciebat tāto diligētius, quod noſſet ſe diu in hoc mundo id non amplius facturum. Sciebat enim ex reuelatione domini noſtri Ieſu Chriſti, dum hanc ſcripſit epiſtolam, & ſanctam admonitionis adhortationem, ſe non diu ſuper terram uicturum. Vnde cognoſcitur ſenex hanc ſcripſiſſe, de quo & dominus prædixerat: Cum autem ſenueris, alius te cinget, & ducet quò tu nō uis. Et ſolicite dabat operam Petrus ante ſui ex hoc mundo egreſſum, ut frequēti monitione poſtquàm depoſuiſſet mortales corporis ſui exuuias, haberent horum omnium poſt obitum ſuum memoriā. Et eo magis, quo doctrina hæc non eſt humana, ſed diuina, nihil fabuloſum aut arte humana inuentū continens, ſed ea quæ aſpectu & auditu dei accepta ſunt, quæ & ipſe uidit & audiuit, dicens: Ioan. 21.

17 » Non enim indoctas fabulas ſequuti, notam fecimus uobis domini noſtri Ieſu
» Chriſti uirtutem & præſentiam: ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. Acci-
» piens enim à deo patre honorem & gloriam, uoce delapſa ad eum huiuſcemodi à
» magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum au-
» dite: & hanc uocē nos audiuimus de cœlo allatā, cum eſſemus cum ipſo in monte
» ſancto.] Indoctas, σεσοφισμένοις, fallaces, deceptorias, & quæ iam olim mundū

deceperunt fabulas arbitrarias, ingenio et arte humana excogitatas, scripturarum & prophetarũ expositiones nequaquam sequutus est Petrus, cum domini nostri Iesu Christi uirtutem, id est potentiam, & præsentiam, id est aduentum eis in carnem nunciauit: sed ipse conspector factus est maiestatis, & glorioſæ transfigurationis eius, cum nubes lucida obumbrauit eum, & Iacobum, & Ioannem, & cum
Matth. 17. hæc uox à magnifica gloria patris prodijt: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite, & hoc testimonium honoris & gloriæ filio attulit. Et hanc ipse uocem, & collegæ eius audierunt è cœlo allatam, cum essent in monte sancto, seu Tabor, seu Libanus, seu quiuis mons alius fuerit, hac gloria Christi & præsentia magnificæ gloriæ patris, sanctificatus super omnes alios mõtes. Et nõ modo ex apostolis qui uiderunt & audierunt, hæc CHRISTI potestas & aduentus nota esse debent: sed & ex sermone prophetico, qui admodum firmus & inconcussæ ueritatis est. Propter quod subdit Petrus:

8 » Et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes
» quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso donec dies illucescat, ut lucifer oriatur in
» cordibus uestris.] Propheticum sermonem firmiorem dicit, id est, admodũ firmum, non quod comparet ad ea quæ ex CHRISTO audierunt & uiderunt, quibus nihil certius, nihil firmius: siue firmiorẽ posuit (Et habemus, inquit, firmiorem propheticum sermonem) quod apostoli firmiorem habebant propheticũ sermonem dono scilicet CHRISTI, & per spiritum sanctũ infusa intelligentia, quàm illi qui arbitrarias, & ad suum sensum torquentes scripturas, sequebantur propheticorum sermonum expositiones, quas Petrus σεσοφισμένους μύθους, id est, egregias & arte humana confictas fabulas uocat. In quo quidem sermone prophetico maxime secundum spiritum, non humanum sensum probat Petrus fideles exerceri, quamdiu in tenebris huius mundi uersantur. Nã mundus iste, si futurum respicimus, tanquã tenebrosus est, squallidus carcer est, in quo scripturæ diuinæ ut lucernæ quædam sunt, fideles ad ea quæ dei sunt & CHRISTI, illuminantes, quousq; alterius mundi dies illis elucescat, & lucifer alterius mundi solis æterni prænũcius, oriatur in animabus nostris quæ alterius seculi limen ingressæ, ad diẽ æternitatis properant. Propheticus etiam sermo in ueteri lege, tanquam lucerna in tenebroso squallidoq; loco lucet: siquidẽ lex uetus, umbra & figura est: cui qui nondum fidei gratiam adepti sunt aut non plenè, bene faciunt si attendant, quia mysteria Christi & fidei nostræ continet inuoluta, donec illis dies Christi, dies nouæ legis illucescat, & lucifer, id est, euangelium ueri solis iustitiæ qui CHRISTVS est, prænuncium, oriatur in cordibus eorum. Veruntamen in eiusmodi exercitatione non est temere præsumendum, nõ est suæ prudentiæ innitendum, suo sensu ingrediendum, quod subiungit Petrus, dicens:

9 » Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturæ propria interpre
» tatione non fit. Non enim uoluntate humana allata est aliquando prophetia, sed
» spiritu sancto inspirati, loquuti sunt sancti dei homines.] Declarat hic quo pacto habebant propheticum sermonem firmiorem, quàm ij qui expositione humana illũ se intelligere confidebant. Nam prophetia quam scriptura sacra continet, non fit peculiari humanæ mentis interpretatione, id est enunciatione, ut humanæ scripturæ: quandoquidem non uoluntate humana, non placito hominũ adducta est unquam prophetia, sed spiritu sancto afflati, loquuti sunt sancti dei homines. Quare non est nostræ mentis, sed diuinæ eius sensum, intelligentiam q; præstare: nec unquam humano sensu capi potest: nisi diuina luce per spiritum dei qui autor est prophetiæ, illustretur. Ad omnem igitur diuinã scripturam, sensus noster humilietur, ut nõ agat, sed agatur. Sic ergo mentes nostras diuina lux spiritus irradiet

radiet, ut ſacrarum literarum, quemadmodum apoſtoli intelligentias capiẽtes, in fide domini noſtri IESV CHRISTI filij dei, uirtutem, ſcientiam, temperantiã, ſpiritualis gratiæ dotes, quarum Petrus nos admonuit, cum cõſummante omnia charitate conſequamur, ad laudem & gloriam patris æterni, & filij eius, in quo ſolo illi complacet, & ſpiritus ſancti, qui deus unus in magnifica & ſupereminenti gloria uiuit & regnat per immenſa ſeculorum ſecula. Amen.

CAPVT SECVNDVM.

10 FVERVNT uero & pſeudoprophetæ in populo, ſicut et in uobis erũt magiſtri mendaces, qui introducent [ſectas] perditionis, & eũ qui emit eos [deũ] negant, [ſuperducentes ſibi] celerem perditionem. 11 Et multi ſequentur eorum [luxurias,] per quos uia ueritatis blaſphemabitur, & in auaritia [fictis uerbis] de uobis negociabunt. Quibus iudiciũ iam olim non [ceſſat,] & perditio eorum nõ dormitat. Si enim deus angelis [peccantibus] nõ pepercit, ſed [rudentibus inferni] detractos in tartarum tradidit ► cruciandos in iudicium [reſeruari:] & [originali] mundo non pepercit, ſed octauum Noë iuſtitiæ præconem cuſtodiuit, [diluuium] mundo impiorum [inducens,] & ciuitates Sodomorum & Gomorræorum in cinerem [redigens,] euerſione damnauit, exemplum eorum qui impie acturi ſunt ponens, & iuſtum Loth oppreſſum à neſandorum ► iniuria ac [luxurioſa] conuerſatione eripuit. Aſpectu eñ & auditu iuſtus erat, habitans apud eos ► qui de die in diem animã iuſtam iniquis operibus [cruciabant.] Nouit [deus] pios de tentatione eripere: iniquos uero in diẽ iudicij reſeruare [cruciandos. 12 Magis] autem eos qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationẽq; contemnunt audaces, [ſibi placentes, ſectas nõ metuunt introducere, blaſphemãtes.] Vbi angeli fortitudine & uirtute quũ ſint maiores, nõ portant aduerſum ſe [execrabile] iudiciũ. Hi uero uelut irrationabilia [pecora, naturaliter] in [captionem & in perniciem] in his quæ ignorant

ANNOT.

hæreſes, αἱρέσεις.

dominum, patremfamilias, δεσπότην. *adducentes ſibij pſis*, ἐπάγοντας ἑαυτοῖς.

pernicies, exitia, ταῖς ἀπωλείαις.

factitijs, compoſitis ſermonibus, πλαστοῖς λόγοις.

tardat, ἀργεῖ.

qui peccauerũt ἁμαρτησάντων.

catenis caliginis, σειραῖς ζόφου.

reſeruatos, τετηρημένους.

antiquo, ἀρχαίου.

diluuio inducto, κατακλυσμὸν ἐπάξας.

redactas, τεφρώσας.

in luxuria, per, ἐν ἀσελγείᾳ.

cruciabat, ἐβασάνιζεν.

dominus, κύριος.

qui cruciantur. Maxime, κολαζομένους. μάλιστα.

peruicaces, glorias non uerentur blaſphemare, αὐθάδεις, δόξας οὐ τρέμουσι βλασφημοῦντες.

apud dominum, παρὰ κυρίῳ.

maledicũ, βλάσφημον. *animalia ſuapte natura nata*, ζῶα φυσικὰ γεγενημένα. *prædam & corruptionem*, εἰς ἅλωσιν καὶ φθοράν.

blaſphemantes, in corruptione ſua peribunt, [percipientes] mercedem iniuſtitiæ. Voluptatem exiſtimantes diei delicias, [coinquinationis] & maculæ, delicijs affluentes, in [conuiuijs ſuis luxuriantes uobiſcum,] oculos habentes plenos [adulterij, inceſſabilis delicti, pellicientes] animas inſtabiles, cor exercitatū in [auaricia] habentes, maledictionis filij, derelinquentes rectam uiam errauerunt, ſequuti uiam Balaam [ex Boſor,] qui mercedem iniquitatis amauit, [correptionem] uero habuit ſuæ [ueſaniæ.] Subiugale mutum animal, in hominis uoce [loquēs,] prohibuit prophetæ
14 inſipiētiam. Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ [turbinibus] exagitatæ, quibus caligo tenebrarum† reſeruatur. [Superbia enim uanitatis loquentes, pelliciunt] in deſiderijs carnis luxuriæ, eos qui paululū effugiunt, qui in errore [conuerſati], libertatē illis promittentes, cum ipſi ſerui ſint corruptionis. A quo enim quis ſuperatus eſt, huius & [ſeruus eſt.] Si em refugientes coinquinationes mundi in cognitione dñi noſtri & ſaluatoris IESV CHRISTI, his rurſus implicati ſuperātur, facta ſunt eis [poſteriora, deteriora prioribus.] Melius enim erat illis non [cognoſcere] uiam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionē, retrorſum conuerti ab eo quod illis traditū eſt, ſancto mandato. Contigit enim eis illud ueri prouerbij: Canis reuerſus ad ſuum uomitum: et, Sus lota [in uolutabro] luti.

ANNOT.

reportantes, κομιούμενοι.
labes, σπῖλοι.
in fallacijs ſuis conuiuantes uobiſcum, ἐν ταῖς ἀπάταις αὐτῶν συνευωχούμενοι ὑμῖν. *adulteræ & irrequietos à peccato, ineſcantes*, μοιχαλίδος καὶ ἀκαταπαύστους ἁμαρτίας, δελεάζοντες. *pluris habēdi cupiditatibus*, πλεονεξίαις.
filijs Boſor, τοῦ Βοσόρ.
redargutionem, ἔλεγξιν.
iniquitatis, παρανομίας.
uociferatum, φθεγξάμενον.

à procella, ἀπὸ λαίλαπος.
† *in æternum*, εἰς αἰῶνα.
Tumida enim uanitatis loquuti, ineſcant, ὑπέρογκα γὰρ ματαιότητος φθεγξάμενοι δελεάζουσιν *petulantijs eos qui uere aufugerunt illos*, ἀσελγείαις τοὺς ὄντως ἀποφυγόντας τοὺς. *conuerſantur*, ἀναστρεφομένους. *ſeruituti addictus eſt*, δεδούλωται.

poſtrema deteriora primis, τὰ ἔσχατα χείρονα τῶν πρώτων. *cognouiſſe*, ἐπεγνωκέναι.

ad uolutabrum, εἰς κύλισμα.

COMMENT. IN CAP. SECVNDVM.

Aulò ante de ueris prophetis loquutus eſt Petrus apoſtolus, quorum qui doctrinam intelligētiamq; ſequuntur, ueri doctores ſunt: nunc de pſeudoprophetis qui prophetæ non ſunt, ſed falſi prophetæ, ut & quod falſò dicitur aurum, aut falſum aurum, non eſt aurū: quorum errorem ſequentes, pſeudodidaſcali, & falſi & mendaces magiſtri dicuntur. Nec abs re ſanè, cum magiſtri officium ſit docere, ipſi uero nō doceant, ſed ſub ſpecie doctrinæ, multiplici errore inuoluant atq; ſeducāt. Quod hunc in modum aperit Petrus:

39 » Fuerunt uero & pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in uobis erunt magiſtri
» mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum qui emit eos deum, negāt,

ſuperdu-

» ſuperducentes ſibi celerem perditionẽ.] Prophetat de iſs Petrus & de tempore quod tunc imminebat,& de eo quod longe futurũ erat. Et falſos prophetas in populo tum Hebraico,tum gentili olim fuiſſe, ſatis conſtat ex ſacra hiſtoria. In populo quidem Hebraico,ut apud Hieremiam ſcriptum eſt:Apprehenderunt eum ſacerdotes & prophetæ,& apud Zachariam: Et pſeudoprophetas & ſpiritũ immundũ auferam de terra. In populo gentili fuerunt pſeudoprophetæ idolorũ,& hi fuerunt magiſtri errorũ, qualis fuit Balaam filius Beor, ex Numerorũ hiſtoria notus. Et magiſtros mendaces qui introduxerunt ſectas perditionis, id eſt,dogmata contraria doctrinæ CHRISTI,doctrinæ euangelicæ, prophetarum,& apoſtolorum,etiam ſtatim poſt tempora Petri fuiſſe quamplurimos, cognoſcent qui legent Ireneum,Euſebium,Epiphaniũ, & ſi qui ſunt ſimiles,quales fuerunt Cherinthus, Menander, Marchion, qui deum ipſum qui illos precioſo ſanguine ſuo redemerat,negauerunt:ſed hi celerem inuenerunt perditionem:ſiquidem ex hac uita quæ breuis eſt,cito ruerunt in interitum ſempiternum. Et de iſs qui illos erroris magiſtros ſequentur,conſequenter prophetat,dicens: *Hiere.16.* *Zach.13.*

» Et multi ſequentur eorum luxurias, per quos uia ueritatis blaſphemabitur,& » in auaricia fictis uerbis de uobis negociabuntur, quibus iudicium iam olim non » ceſſat,& perditio eorũ nõ dormitat.] Vt magiſtri ueritatis qui ſpiritu dei aguntur,puri,ſancti, & caſti ſunt,ueraces, euangelici,ſpirituales, nequaquã terrenis, ſed ſolis cœleſtibus bonis inhiantes, ſolum quæſtum exiſtimantes pietatem, purumq; dei cultum,ita magiſtri erroris, ſpiritu maligni aguntur, impuri ſunt,immundi,luxurijs dediti,mendaces,euangelio contrarij,carnales,ſolis terrenis,contemptis cœleſtibus bonis,inhiantes,per quos uia ueritatis,id eſt doctrina CHRISTI blaſphematur,male audit,execratur, eam adulterantes & corrumpentes,& in auaritia fictis uerbis, id eſt, hypocriſi in doctrina & uita quæſtũ ſibi cõparãtes, & hoc pacto de omnibus negociãtes, quorũ cõdemnatio iam olim,id eſt,ab æterno definita non tardat,& eorum perditio nõ dormitat. Et huius rationem ſubdit Petrus,dicens:

» Si enim deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detra» ctos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reſeruari,& originali mundo nõ » pepercit, ſed octauum Noë iuſtitiæ præconem cuſtodiuit, diluuium mundo im» piorum inducens, & ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redi» gens euerſione damnauit,exemplum eorum qui impie acturi ſunt ponens, & iu» ſtum Loth oppreſſum à nefandorum iniuria, ac luxurioſa conuerſatione eripuit, » aſpectu enim & auditu iuſtus erat, habitans apud eos,qui de die in diem animam » iuſtã iniquis operibus cruciabant. Nouit deus pios de tentatione eripere, iniquos » uero in diem iudicij reſeruare cruciandos.] Iudicium eorum non tardat,& perditio non dormitat: quia ſi angelis qui peccauerant deus non pepercit, ſed catenis caliginis in tartarum præcipitatos tradidit in diem iudicij cruciãdos, ſeruatos ad æternum ſupplicium,exemplum eſt, quod eorum ex æterno dei decreto iudicium non ceſſat, & condemnatio non dormitat. Si originali, id eſt primæuo, & à creatione recenti mundo,qui corruperat uiam ſuam(quod cognoſcitur ex Geneſi)non pepercit, ſed aquis diluuij (ſolo Noë iuſto præcone iuſtitiæ, & familia eius ereptis) funditus deleuit: quomodo illi putent iudiciũ dei erga ſe ceſſare, & condemnationem ſuam ſopiri & dormitare? Et ex eadem hiſtoria ciuitatibus Sodomorũ & Gomorrhæorum fœdiſſimis uoluptatibus inquinatis nõ pepercit, ſed igne & ſulphure de cœlo pluente in fauillam & cinerem redegit, & ſolum Loth iuſtũ aſpectu & auditu nefanda uidere abhorrẽtem atq; audire,facto et uerbo, ab impijs oppreſſum,ab infanda impiorũ cõuerſatione cum uxore & liberis eripuit, *Gen.7.* *Gen.9.*

Quis ergo non uidet iudicium illorum non ceſſaturũ, nec condemnationis euentum in irritum abiturum? Et hanc ciuitatum illarum damnationem fecit deus exemplum poſteris, ne cõſimili dei contemptu & uitæ impuritate peccare auderẽt. Quod autem iuſtos, Noë & Loth, & aliquot de familia eorũ, deus propter ſe, & eximiam ſuam bonitatem, etſi ipſorum gratia feciſſe uideretur, de illis periculis liberauit, hoc nobis certiſſimum & indubitabile eſt argumẽtum, quod deus nouit pios de periculorum quantumcunq; magnorum afflictionibus, ac ſecreto dei iudicio probationibus eripere, & contrà, impios perdere, & in diem iudicij reſeruare amplius cruciandos. Et nunc dæmones cruciantur, & impij cruciantur: ſed multo acerbius poſt nouiſſimum diem, ſuprema damnationis eorum data ſententia, cruciabuntur. Quid igitur facient impij qui CHRISTO aduerſantur, qui ſectas introducunt contra dei euangelium, qui ad ſuum ſenſum ipſum peruertunt ad ſuam libidinem, ad ambitionem, ad lucrum, quæſtum, & omnimodam auaritiã abutentes, uerbum dei blaſphemant, uituperant, & execrantur, nec; deum, nec; terribile eius iudicium formidantes? At qui in hoc mundo iuſti ſunt, aſpectum, auditum, & omnes ſenſus ut Loth iuſtus puros habent, non ualentes uidere aut audire, facta aut uerba deum & ueritatem eius offendentia, ſine animi cruciatu, & animæ dolore. Non loquuntur, non agunt quicquam quod deum offendat, in guſtu temperantes, in tactu ſancti, ſe totos in deum reijcientes, animam habẽtes dei templum, non cogitantes niſi ſancta & iuſta: ſunt fideles, ſunt euangelicã doctrinam amplectentes, cæteras reijcientes. Impij autẽ contrà, omnes ſenſus impuros habent, aures detractationibus patentes, oculos impudicitijs, ſermones habent prophanos, guſtus intemperantes, & tactus immundos: immũdæ uolucres, ſues in omni uitiorum cœno ſe uolutantes, & totam animam habentes pollutam: domicilium malignorum: ſunt infideles, ſunt euangelicæ uitæ aduerſantes, & alia uitæ inſtituta ſuſcipientes. Et ſi deus antiquos peccatores perdidit nondum mundo per uerbum dei illuminato, eos reſeruans amplius in extremo iudicio cruciãdos, multo magis perdet ad maiores cruciatus reſeruatos eos qui mundo iam per doctrinam ueritatis illuminato, tam perditis moribus nouas præter uerbum dei introducent, aut introduxerunt ſectas, quod ſubdit Petrus, dicens:

13 » Magis autem eos qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant,
» dominationemq; contemnunt, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt intro
» ducere, blaſphemantes, ubi angeli fortitudine & uirtute cum ſint maiores, non
» portant aduerſum ſe execrabile iudicium. Hi uero uelut irrationabilia pecora, na
» turaliter in captionem & in perniciem in his quæ ignorant blaſphemantes, in cor
» ruptione ſua peribunt, percipientes mercedẽ iniuſtitiæ: uoluptatem exiſtimantes
» diei delicias, coinquinationis & maculæ, delicijs affluentes, in conuiuijs ſuis luxu
» riantes uobiſcum, oculos habentes plenos adulterij, & inceſſabilis delicti, pelli-
» cientes animas inſtabiles, cor exercitatum in auaricia habẽtes, maledictionis filij,
» derelinquentes rectam uiam errauerunt, ſequuti uiam Balaam ex Boſor, qui mer
» cedem iniquitatis amauit, correptionem uero habuit ſuæ ueſaniæ. Subiugale mu
» tum animal in hominis uoce loquens, prohibuit prophetæ inſipiẽtiam.] Vt magiſtri ſpiritus dei, & eorum ſequaces, poſt ſpiritum in omni puritate & ſanctimonia uitæ ambulant, ſic magiſtri ſpiritus erroris, & eorum ſequaces, poſt carnem in omni inquinatione uitæ & concupiſcentiarum immundicia ambulãt. Illi uelut angeli, dominatorem omnium uenerantur & colunt. Hi contemnũt, & à pietate ueroq; cultu auertunt. Illi, humiles & timorati in doctrina euangelij manẽtes. Hi audaces, & in ſuis opinionibus pertinaces ac temerarij, non uerentes ſectas & peruerſa dogmata introducere blaſphemantes, id eſt, de deo et contra deum male

ſentientes

ſentientes & loquentes, cum angeli qui & fortitudine & poteſtate ſunt maiores, non portent aduerſum ſe blaſphemiæ iudicium, cum deum timeāt blaſphemare. Quid igitur hi blaſphemi facient? Illi, ſpiritu uiuentes laqueos dæmonū effugiūt, ſcientiam dei habent, benedicunt, iuſtitiæ fidei & pietatis fructum recipient. Hi carne uiuētes, ueluti bruta animalia ſuapte natura in captionem & ad occiſionem genita, quæ dei ſunt ignorant blaſphemantes, & in pernicie ſua interibunt, mercedē iniuſtitiæ & impietatis ſuæ reportantes. Illi carnem ſpiritu mortificant, uoluptatesq; eius diffugiunt. His contrà, uoluptates carnis, ſummas æſtimant diurnas delicias. Illi ſanctitas ſunt & puritas, in conuiuijs temperantes, oculis caſti, nunquam delinquentes, ſermonibus ſanis animas ad pietatem allicientes, cor cæcatum auaritia non habentes, ſed liberalitate & miſericordia plenum. Contrà, hi ſunt maculæ & labes in conuiuijs, delicijs & intemperantijs affluentes, inter fideles conuiuantes, oculos habent impudicos aliqua implentes adultera, peccare nō ceſſant, malis ſermonibus & doctrinis, inſtabiles fide animas in perniciem impietatis pertrahunt, cor excæcatū auaricia habentes, illiberalitate & immiſericordia plenum. Illi ſunt benedictionis filij, ſequentes uiam CHRISTI, omnem errorem declinantes. Hi uero ſunt maledictionis filij, qui relicto euangelio quæ eſt recte uiuendi uia, ſequuti ſunt uiam Balaam filij Boſor, qui (ut Numerorum prodit hiſtoria) mercedem iniquitatis amauit, & quem aſina in modum hominis loquēs coarguit, eiusq; inſipientiam populo dei maledicere uolentis repreſſit. Tales ſunt magiſtri erroris, qui relicta uia ſpiritus, ſequuntur uiam carnis, & doctrina uitæ quæ eſt uerbum dei & euangelium pacis, poſt peregrinas abducuntur & inuentiones humanas. Et non ſolum tales, ſed & inſuper quales ſint, amplius depingit Petrus dicens: *Num. 22.*

14. Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſeruatur. Superba enim uanitatis loquentes, pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ eos qui paululum effugiunt: qui in errore conuerſantur, libertatē illis promittentes, cum ipſi ſerui ſint corruptionis. A quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt. Si enim refugientes coinquinationes mundi, in cognitione domini noſtri & ſaluatoris IESV CHRISTI his rurſus implicati ſuperātur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoſcere uiam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem, retrorſum conuerti ab eo quod illis traditū eſt ſancto mandato. Contigit enim eis illud ueri prouerbij: Canis reuerſus ad ſuum uomitum, & : Sus lota in uolutabro luti.] Fontes hi ſunt ſine aqua, quia uidentur promittere doctrinam ſalutis & uitæ, quam nullā habēt, ſed puræ feces ſunt quas pro puriſſimo & euangelico fonte dant epotare. Nebulæ turbinibus exagitatæ, imbrem cœleſtis doctrinæ pollicentur, ſed non ſpiritu afflantur, uerum procella turbinis maligni propelluntur, ſuntq; hi caliginibus æternarum tenebrarum reſeruati. Et merito quidem, quia dum ſenſu carnis ſuæ ſuperba uanitatis ſuæ, id eſt uanæ ſuæ doctrinæ uerba loquuntur, pelliciunt & ineſcant in deſideriis huius doctrinæ & uanitatis, uoluptatibus carnis eos qui per uerbum dei illas uere effugerant. Ineſcant inſuper & eos qui errore & infidelitate conuerſantur, libertatem illis per traditiones ſuas promittentes, cum ipſi ſint ſerui corruptionis, peccati & carnis. Nam à quo quis ſuperatus eſt, huius ſeruituti addictus eſt, ſuperati autem ſunt à corruptione, peccato & carne. Et ipſi, & qui per eos ſeducti à doctrina ſpiritus ad carnem reciderunt, multo deteriores ijs ſunt qui nunquam euangelij uerbum audiendo, deum nouerūt. Nam ſi in cognitione domini noſtri & ſaluatoris IESV CHRISTI ſordes & inquinamēta mundi, id eſt, peccata carnis aufugerūt, ſacris undis abluti, & his rurſus impliciti ſuperantur, facta ſunt illis poſtrema de-

teriora prioribus, siquidem satius fuisset illis, si uiam iustitiæ, fidei & spiritus non nouissent, quàm postea quàm nouerũt, à sancto quod eis per sanctum euangeliũ CHRISTI traditum est, mandato, pedem reuocare, & retrorsum cõuerti, & doctrinæ erroris intẽdere. Verum euenit eis illud ueri adagij: Canis reuersus ad suũ uomitum, &: Sus lota ad uolutabrum luti. Vt enim nihil iuuat canem euomuisse, si uomitum suum resorbeat, & suem lotam à luto, si rursum in lutum se cõuoluat: sic & ijs qui in bona fidei confessione peccata sua euomuerunt, id est, illis dimissa sunt nihil illos iuuabit, si illa carnem sequendo resumant. Et quid tibi prodest te esse lotum à peccatis, à sordibus concupiscentiarum carnis in baptismate: si iterũ ijsdem te sordibus concupiscentiarũ carnis inquinas? Nónne perinde est ac suem lotam, in lutũ reuolui? Et certe qui fide loti sunt in sanguine domini nostri IESV CHRISTI, qui omnium uerum baptisma, & ab omnibus peccatis lauacrũ est, & id uiua fide sentit, non relabuntur ad peccatum, spiritu CHRISTI illos defendente: spiritus CHRISTI in illis uiuit, & caro moritur. O illius nobis felix uita, & huius mors necessaria: mortua caro, hostia est deo, uiua est abominatio. Quapropter uideamus ne canes immundi apud deum iudicemur, ne sues immundæ: sed qui preciosissimo sanguine domini nostri IESV CHRISTI mundati, & super niuem dealbati sumus, nunquam inquinemus uestem nuptialẽ, cum qua uocamur ad nuptias cœlestis agni pro nobis immolati. Quod si errore humano, humanaq; infirmitate aliquando inquinata fuerit, ad lauacrum confugiamus, id est, confitea mur CHRISTO deo nostro contractas sordes qui nunquam non lauat ex corde ueniam petentes, plenamq; in ipso fidem fiduciamq; habentes, qui occurrit reuertentibus, qui requirẽs imponit humeris suis oues errantes, inquinationem omnẽ post resumptam gratiam fugientes. Ad quod nos adiuuet purificationis autor, ueniæq; largitor CHRISTVS IESVS: cuius patri miserationũ fonti, per ipsum & cum ipso sit in secula benedictio. Amen.

CAPVT TERTIVM

ANNOT.

15 HANC [ecce] uobis charissimi secundam scribo epistolam, in qui bus uestram excito in commonitione syncerã mentem, ut memores sitis eorũ quæ [prædixi] uerborum à sanctis prophetis, & [apostolorum uestrorum præceptorum] domini & saluatoris.

iam, ἤδη.

prædicta sunt, προειρημένων.

& ab apostolis uestris præceptι, καὶ τῆς τῶν ἀποστόλων ὑμῶν ἐντολῆς.

16 Hoc primum scientes quod uenient in nouissimis diebus ➡ in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: Vbi est promissio, ➡ aut [aduentus] eius? Ex quo em̃ patres dormierunt, omnia sic perseuerãt ab ini-

τῆς παρουσίας.

17 tio [creaturæ.] Latet enim eos hoc uolentes, quod cœli erant prius, & terra, de aqua & per aquam consistens dei uerbo, [per quæ] ille tunc mundus aqua inundatus periit. Cœli autem qui nunc sunt, & terra, eodẽ uerbo [repositi sunt, igni reseruati]

creationis, creaturæ κτίσεως.

per quos scilicet cœlos anceps, δι' ὧν.

reposita sunt, igni reseruata.

reseruati] in die iudicij † perditionis impiorũ ho
minum. Vnum uero hoc non lateat uos [charis-
simi,] quia unus dies apud dominum sicut mille
anni, & mille anni sicut dies unus. Nõ tardat do
minus promissionem ► suam, sicut quidam † exi
stimant, sed [patienter agit propter uos,] nolens
aliquos perire, sed oẽs ad pœnitentiã [reuerti.]
18 Adueniet autem dies domini ut fur, † in quo
cœli [magno impetu] transient, elementa uero ca
lore soluentur, terra aũt & quæ in ipsa sunt, ope-
ra exurentur. Cum igitur hæc omnia dissoluẽda
sint, quales oportet uos esse in sanctis conuersatio
nibus & pietatibus, expectantes & [properãtes
in aduentum] diei [domini, per quem] cœli ar-
dentes soluentur, et elementa ignis ardore [tabe-
19 scent.] Nouos uero cœlos, & nouam terram
[& promissa] ipsius expectamus, in quibus iusti
20 tia habitat. Propter quod charissimi hæc expe
ctantes, satagite, immaculati & [inuiolati] ei inue
niri in pace, & domini nostri ► IESV CHRI-
STI longanimitatem, salutem arbitramini, sicut
& charissimus frater noster Paulus secundũ da-
tam sibi sapientiam scripsit uobis, sicut & in om-
nibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus
sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti &
instabiles deprauãt, sicut & cæteras scripturas ad
21 suam ipsorum perditionem. Vos igitur [fra-
tres,] præscientes, custodite ne [insipientium er-
rore traducti,] excidatis à propria firmitate.
22 Crescite uero in gratia & in cognitione domi
ni nostri & saluatoris IESV CHRISTI. Ipsi glo
ria & nuuc, & in diem æternitatis. Amen

† & ἀγαπητοί.
dilecti, ἀγαπητοί, & infra.

† *tarditatẽ, βραδύτητα.*
longanimus est erga nos, μακροθυμεῖ εἰς ἡμᾶς,
recipere, χωρῆσαι.
† *in nocte, ἐν νυκτί.*
magno stridore, ῥοιζηδόν.

accelerantes aduentum, σπεύδοντας τὴν παρουσίαν.
dei, ob quam, refert diem, θεοῦ, δι' ἣν.
liquescent? τήκεται;

iuxta promissum, κατὰ τὸ ἐπάγγελμα,
incontaminati, irreprehensibiles, ἀμώμητοι.

dilecti, ἀγαπητοί.
prophanorum errore simul abducti, ἀθέσμων πλάνῃ συναπαχθέντες.

COMMENT. IN CAP. TERTIVM.

ET prima & hac secũda epistola eos ad quos scribit, & nos per eos maxime omnium admonet esse attentos ad scripturas prophetarũ qui de fide nostra pronunciarunt, & qui similia ijs quæ dixit dixerunt, & ad dicta sua & apostolorum, quæ sunt mandata domini & saluatoris nostri, quæ & plenissime cognoscuntur in euangelijs & apostolicis epistolis, & ad hos fines hanc secundã se scripsisse fatet̃ epistolã, dicẽs:
15 » Hanc ecce uobis charissimi secundam scribo epistolã, in quibus uestram exci-
» to in commonitione synceram mentem, ut memores sitis eorũ quæ prædixi, uer-
» borum à sanctis prophetis, & apostolorum uestrorum, præceptorum domini &

» ſaluatoris.] Hanc (inquit) ecce uobis dilecti ſecundam ſcribo epiſtolam, in quibus ſcilicet tum illa prima, tum hac ſecunda excito & extimulo per commonitionem ueſtram ſynceram, id eſt puram in fide, & integram mentem, quibus nihil fi dei ſubſtractum eſt, ut memores ſitis eorũ quæ à ſanctis prophetis prædicta ſunt, & præceptorum domini & ſaluatoris noſtri ab apoſtolis ueſtris. Prophetæ prædixerunt CHRISTVM uenturum, et nouam legem, nouaq; uitæ inſtituta allaturũ, quæ apoſtoli poſt domini ſaluatoris noſtri è mundo ad patrem aſcenſum, primi mundo intulerunt. Verum propheta nos adhuc præmunit aduerſus infidelitatẽ impiorum, qui erunt in nouiſſimis temporibus, qui neq; credent euangelio, neq; promiſſionibus dei de ſupremo iudicio in fine mundi, de bonorũ in perpetuitate uitæ, ſumma felicitate, & malorum in ſupplíciorum perennitate extrema calamitate. Super qua re, præſago ſpiritu ipſos admonet, & poſteros, dicens:

16 » Hoc primũ ſciẽtes, quod uenient in nouiſſimis diebus in deceptione illuſores,
» iuxta proprias cõcupiſcẽtias ambulantes, dicẽtes: Vbi eſt promiſſio, aut aduẽtus
» eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia ſic perſeuerant ab initio creaturæ.]

Impiorum non crediturorum uerbo dei & euangelio, neq; uitam futuram quæ bonis æterna erit ad gloriã, malis uero ad ſupplíciũ, ſed animas cum corporibus interituras, mundumq; uices ſuas ſemper ut nunc & olim agitaturum, erunt uer-
Sapien. 2. ba qualia fermè legimus in Sapientia, eorum qui dicebant: Exiguum & cum tædio eſt tempus uitæ noſtræ, & non eſt refrigeriũ in fine hominis, & non eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis: quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hæc erimus tanquã non fuerimus. Et ſubinde: Vino precioſo & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis, coronemus nos roſis antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Qui cum ſimilia non recte cogitabunt, CHRISTI doctrinam abnegantes, addent: Vbi eſt promiſſio aduentus eius ad iudicium? ex qua enim die patres noſtri dormierunt, id eſt, mortui ſunt, ſic omnia ab initio creaturæ permanẽt. Hi ſunt qui ſimplicibus illudũt, peſſimis uerbis probos mores corrumpentes. Hi ſunt, qui poſt ſuæ carnis concupiſcentias, & cupiditatum illecebras ambulant. Et hi multa impietate & ignorantia, ſed quam 18
uolentes incurrerunt, talia profundent, & noluerunt exemplo rerum præteritarũ futura intelligere, ex typo ueritatem, ex umbra lucem, & ex diluculo diem, quod inſinuat apoſtolus, dicens:

17 » Latet em̃ eos hoc uolentes, quod cœli erant prius, & terra de aqua, & per aquã
» conſiſtens dei uerbo, per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit. Cœli autẽ
» qui nunc ſunt & terra, eodem uerbo repoſiti ſunt, igni reſeruati in diem iudicij &
» perditionis impiorum hominum.] Iis qui fuerunt temporibus Noë ante diluuium, ipſe accepto uerbo dei, prædicebat interitũ uniuerſæ carnis, & ſeculi illius finem: qui uidentes arcam in dies fabricari, manebant increduli, & nihilominus quàm prius intendebant uoluptatibus carnis ac corruptionibus, donec finis uniuerſæ carnis iuxta uerbum domini aduenit, & innouatus eſt mundus primordiali deleto. Hi ſunt figura eorum qui erunt in nouiſſimis diebus. Noë figura prophetarum & apoſtolorum: arca, eccleſiæ quam ipſi ædificauerunt, finis illius ſeculi, finis mundi. Etſi nullus niſi in arca ſaluari potuit, & hoc per aquam, nullus profecto in fine mundi ſaluabitur niſi in eccleſia, & hoc per baptiſmum. Innouatio cœli & terræ ſub Noë: figura nouorum cœlorum & nouæ terræ, poſt uniuerſalem pyroſin & mundi conflagrationem. Sed hoc illi nouiſſimorum temporum, ad ſuã ſalutem dum fabricatur arca, id eſt, eccleſia intelligere nollent, & incredulí manebunt. Quapropter illi extra eccleſiam, ut olim alij extra arcam, peribunt. Cœli, inquit, erant olim, id eſt, ab exordio mundi: & terra ex aqua, id eſt, extra aquam,

& per

& per aquam, id est super aquam, uerbo dei consistens. Extra quidē aquam quid ni uerbo dei constat, dicente Mose? Dixit uero deus: Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum unū, & appareat arida, & factum est ita. Et rursus Esdra: Tertia die, imperasti aquas congregari in septima parte terræ: sex uero partes siccasti & conseruasti, ut ex his sint coram te ministrantia seminata à deo & culta. Verbum enim tuum præcessit, & opus statim fiebat. Super aquam uero, dicente propheta: Qui firmauit terram super aquas. Sed qui hi cœli qui olim & à principio erant? Hi profecto cœli aërij erant, supra quos aquæ nubiū feruntur, de quibus dicitur: Benedicite aquæ omnes quæ super cœlos sunt domino. Et rursus: Laudate eum cœli cœlorū, & aquæ quæ super cœlos sunt, laudēt nomen domini. Siquidē omne quod à terra & aqua in sublime oculis facile peruiū est & penetrabile uisu, cœli dicūtur. Et per hos cœlos tempore Noë inundatus mundus perijt, & cœlos illos & terram aquarum copia demersit. Sed peracto diluuio cœlos reparauit, facile uisui in sublime peruios, & terrā ut uoluit discooperuit ab aquis, & perseuerant cœli perujs oculis, & terra discooperta aquis, usq; ad hæc tempora, ueluti thesauri diuinæ bonitatis repositi. Seruantur nihilominus & hi cœli & hæc terra, & cætera elementa igni conficienda in nouissimo die, qui dies iudicij est, & dies perditionis impiorum hominum, sicut scriptum est: Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Non ergo acquiescendū est impijs, illusoribus & incredulis, dicentibus: Vbi est promissio aduētus eius? Ex quo ēm patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ. nam id falsum est, ut ostensum est, & ueritati cōtrarium. Nam & certo certius adueniet dominus, neq; semper mundus ut nunc est ab initio conditæ naturæ perseuerauit? cum tempore Noë noua terra & noui cœli sint repositi. Neq; perseuerabunt, sicut scriptum est: Vidi cœlū nouū, & terrā nouam. Primū enim cœlū, & prima terra abijt. Quare longa mora nihil nos ad hoc suspicandum debet mouere: quia quod nobis lōgum est, nihil est ante deū, ante quem mille anni tanquam dies hesterna quæ præterijt, Ideo nos admonet Petrus, dicens:

Gen. 1.
4. Esdræ 6.
Psal. 135.
Dani. 3.
Psal. 148.
Psal. 96.
Apoc. 21.
Psal. 89.

18 Vnum uero hoc non lateat uos charissimi, quia unus dies apud dominū, sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus. Non tardat dominus promissionem suā, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter uos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiā reuerti.] Quia uniuersum tempus septem diebus currit, & mille anni ante dominum ut dies unus: existimauerunt nonnulli septem milibus annorum mundi cursum finiendum, ex hoc loco coniecturam capientes. Verum hæc coniectura humana, infirma & inualida est, quandoquidem solus deus nouit numerum electorum, qui cum cōpletus fuerit aduenier iudicium. Sicut respondit archangelus animabus iustorum apud Esdram, sciscitantibus quando uenirent fructus areæ mercedis earum, dicens: Quando fuerit impletus numerus seminum in uobis, quoniam in statera ponderauit seculum, & mensura mensurauit tempora, & numero numerauit tempora, & non cōmouit nec excitauit usq; dum impleatur prædicta mensura. Quod enim in longum differtur aduentus domini, hoc non est (ut existimant) quod omnia sic semper sint mansura, sed est longanimitatis dei immensa benignitas, quæ non uult ullos fidelium perire, sed omnes qui delinquunt ad mentē redire & resipiscere, quod est, ad pœnitētiam reuerti. Qui si non redeunt, non id dei uoluntate fit (nam uita in uoluntate eius) nō longanimitatis eius bonitas in causa est, sed auersio, ingratitudo, & iniquitas nostra, quæ quo minus impleatur ille electorum numerus, & in longius protrahatur adimpletio promissionis dominici aduentus, in causa est. Diaboli diem illū timent, cognoscentes certo certius diem esse suæ condemnationis, & idcirco quantum possunt

4. Esd. 4.
Psal. 29.

accelerationi eius obicem ponũt. Nos uero miseratione dei electi, nequaq; illum timere debemus, sed optare: & totis uiribus secundum fidem & spiritum conuersando, pie, sancte, & iuste uiuendo, cooperari ut cito impletum sit regnum CHRISTI, pro quo nos docuit iugiter orare dicendo: Matth. 6. Adueniat regnũ tuum, quod esse non potest, nisi impleto numero electorũ, quo impleto uenit repente dies domini tanquam fur, & tunc cessabit omnis in deum offensa, quod summopere est optandum. Illisa iacebit maligni potestas, & sola laus & gloria, & perennis obedientia in regno dei & domini nostri IESV CHRISTI manebũt. Propter quod subiungit Petrus:

19 » Adueniet autem dies domini ut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa uero calore soluẽtur: terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurent. Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint: quales oportet uos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, expectantes & properantes in aduẽtum diei domini, per quẽ cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent?] Veniet dies domini ut fur ex improuiso, & cum minime expectabitur, ne quis frustra cõiecturis illum se agnoscere posse putet: si non potest quot saluandi sunt nosse, quotq; saluati sunt, & quot & quando saluandi, temere illum diffinit. Et in illa die mundus, ne ullæ sordes inquinationum diuinæ offensionis supersint, igne purgabitur: & dissoluentur elementa, terra, aqua, aër, quæ diuinæ offensionis se præbuerunt impijs instrumenta. Quæ cum ita esse cognoscimus, tum ex ijs quæ hic apostolus diuino spiritu ad nos scribit, tum ex alijs sanctorum eodem spiritu afflatorum scripturis, quales nos esse decet in sanctis conuersationibus, fide fortes, charitate feruentes, spiritu ambulantes, & omnimodis erga deũ syncteris cultibus utentes, cultui dei nullum alium miscentes cultum, alioqui syncerus purusq; non esset, expectantes, & non modo expectantes, sed & quantum in nobis est, accelerantes aduentum diei domini, in quo cœli ardentes soluent, & elementa ardore tabescent. Certe omni studio sanctis cõuersationibus, & omnimoda in deum pietate, ad hoc ipsum cooperari debemus. Nec ob hoc quod hæc inferiora sensibilia q; soluentur, & elementa æstu laborantia liquescent, animis remittamur. Nam meliores nobis cœli, & terra melior nulla etiam proportione promittuntur: terra uidelicet uiuentium, & cœli in quibus iustitia habitat, in quibus semper fit dei uoluntas, neq; iniquitas, neq; peccatum regnat, neq; pollutum quicquam intrat, neque regnare aut intrare potest, quod insinuat Petrus, dicens:

20 » Nouos uero cœlos, & nouam terram, & promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.] Cum nouorum cœlorum, & terræ nouæ adimpleta fuerit promissio: tunc in ueritate & non umbratiliter adimplebitur quod in Esaia scriptum est: Esaiæ 65. Ecce enim ego creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor, sed gaudebitis et exultabitis usq; in sempiternum in ijs quæ ego creo: quia ego creo Hierusalem exultationem, et populũ eius gaudium, & exultabo in Hierusalem, & gaudebo in populo meo, & non audietur in illa ultra uox fletus & uox clamoris. Et hi sunt cœli & terra noua, & hæc Hierusalẽ ciuitas sancta, de quibus in sacra apocalypseos uisione legitur: Apoc. 21. Et uidi cœlum nouum & terram nouam. Primum enim cœlum & prima terra abijt, & mare iam non est. Et ego Ioannes uidi sanctam ciuitatem Hierusalem nouam descendentem de cœlo, à deo paratam, sicut sponsam ornatã uiro suo. Et audiui uocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculũ dei cum hominibus, & habitabit, & ipsi populi eius erunt, & ipse deus cum eis erit eorum deus. Et absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultra, quæ prima abierunt. Quæ cum ita sint euẽtura,

magnifice

» magnifice nos adhortatur Petrus, dicens: Propter quod chariſſimi hæc expe
» ctantes: ſatagite immaculati & inuiolati ei inueniri in pace. Et domini noſtri IE
» SV CHRISTI longanimitatem, ſalutem arbitramini: ſicut et chariſſimus frater no
» ſter Paulus, ſecundum datam ſibi ſapientiã ſcripſit uobis, ſicut & in omnibus epi
» ſtolis, loquens in eis de ijs, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indo
» cti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditio
» nem.] Talem uitæ felicitatem expectantes, omnem operã adhibere debemus, fidem domini noſtri IESV CHRISTI amplectentes, & euangelicam doctrinam magno ſtudio ſequẽtes, ut immaculati & irreprehenſibiles in pace mentis & conſcientiæ inueniamur: et arbitrari domini noſtri IESV CHRISTI longanimitatẽ, noſtram ſalutem, & non promiſſionum dilationem aut fruſtrationẽ: ſicut & Paulus diuinam adeptus gratiam, de his in epiſtolis ſuis ſcriptum reliquit, dicens: An diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniã benignitas dei ad pœnitentiam te adducit? Verum in epiſtolis eius quædam ſunt difficilia intellectu, quia non humano ſenſu, ſed ſolo ſpiritu dei capiũtur, quorum ſenſum nonnulli indiſciplinati & inſtabiles, id eſt animales, inconſtantes ſuo ſenſui, ſenſui carnis innitentes, ſicut & alias diuinas ſcripturas peruertũt, & ad prauã ſui carnalis ſenſus intelligentiam, ad ſuam quidem perditionem pertrahunt & detorquent. Vt uerbi cauſa cum ſcripſit: Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia: detorquent ac ſi diceret facienda eſſe mala, ut maior abundet gratia, & pleraq; alia hunc in modum in obliquum pertrahunt ſenſum, in ſuam & aliorum perniciem. Neq; humana ſtudia aliud præſtare poſſunt. A quibus ſenſa ſcripturarum aliter torquentibus quàm ſit ſenſus ſpiritus, & quàm ſpirituali ædificationi conueniat, ſummopere cauendum admonet Petrus, dicens: *Rom. 1.* *Rom. 5.*

22. » Vos igitur fratres præſcientes, cuſtodite ne inſipientium errore traducti excidatis à propria firmitate.] Præmoniti & præſcij à ſpiritu CHRISTI in apoſtolo loquente, ſummopere cauere debemus ab ijs qui ſcripturæ ad ſenſum carnis, aut quod deterius eſt, ad ſenſum afflatumq; Satanæ, ut in hæreticis, peruertunt intelligentiam, quales fuerunt Simon magus, Hermogenes, Philetus, Menander, Marcion, & id genus multi, qui manifeſte ab apoſtolis reprobati ſunt hæretici, aut qui eas trahunt ad ſenſum ſuum qui ſecundum hominem eſt, & non ſecundum deum & ſpiritum. Nam ad intelligentiam diuinarum ſcripturarum opus eſt ſpiritu doctore, qui ſecrete ad hoc ipſum afflat mentes humilium & uere fidelium: quia niſi ſpiritu dei ducamur, excidimus à ſoliditate fidei & uitæ, qua nobis in CHRISTO, id eſt in CHRISTI fide, eius imitatione nobis uiuendum eſt. Proinde figmenta & ſenſa carnis ſequi nõ debemus: ſed CHRISTI ſpiritum. Quod & Petrus ſancte nobis imprecatur eueniendum: ut in illa intelligentia ſpiritus & gratia in dies proficiendo, firmiter in fide & inoffenſe curramus, dicens:

23. » Creſcite uero in gratia & cognitione domini noſtri & ſaluatoris Ieſu Chriſti. » Ipſi gloria & nunc & in diem æternitatis. Amen.] Nullum melius incrementũ, quàm quod rore cœleſti, id eſt, doctrina euangelij quæ de cœlo eſt, concreſcit, nõ corporale, ſed ſpirituale. Longe enim præſtat ſpirituale corporali. Hoc corruptibili alimonia, ſumit corruptibile incrementum: illud, immortali gratia, & ſpiritu dei, incorruptibile ſumit augmentum: & hoc nobis optat apoſtolus Petrus, cum augmentum gratiæ in illa eminenti ſcientia filij dei domini & ſaluatoris noſtri IESV CRHISTI nobis optat, quæ eſt ſciẽtia fidei, ſine qua nullus poteſt placere deo: quam ſcientiam, ſola cõtinet ſacra ſcriptura, & maxime omnium ſancta dei euangelia, ſcientiam non humanam, ſad planè, & (ſi ita dici licet) plus quàm diuinam, ſolam ad uitam æternam neceſſariam. Patri igitur æterno, qui ſcientiarũ

dominus est,& filio eius, sapientiæ ab eo ante omnia secula genitæ & spiritui sancto utriusque munerum distributori, uni deo honor, gloria, & gratiarumactio in seculorum secula. Amen.

COMMENTARII IN EPISTOLAM CANONICAM PEtri posteriorem ad dei gloriam & honorem, finis.

EPISTOLA BEATI IOANNIS APOSTOLI PRIMA.

CAPVT PRIMVM. ANNOT.

1 QVOD [fuit] ab initio, quod audiuimus, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de [uerbo] uitæ, & uita manifestata est, & uidimus, & testamur, & annunciamus uobis uitã æternam quæ erat apud patrẽ, & apparuit nobis. Quod uidimus & audiuimus annũciamus uobis, ut & uos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum patre & cum filio eius IESV CHRISTO.

erat, ἦν.

τοῦ λόγου. Hoc uocabulo utitur in principio euangelij sui.

2 Et hæc scribimus uobis ut ► gaudeatis, & gau-
3 dium uestrum [sit plenũ.] Et hæc est annunciatio quam audiuimus ab eo, & annũciamus uobis: quoniam deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Si dxerimus quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & ueritatem nõ facimus. Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce: societatem habemus adinuicem, & sanguis IESV CHRISTI filij eius emundat nos ab om-
4 ni peccato. Si dixerimus quoniam peccatum nõ habemus, [ipsi nos] seducimus, & ueritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet
5 nos ab omni [iniquitate.] Si dixerimus quoniã non peccauimus, mendacem facimus eum, & [uerbum] eius non est in nobis.

sit impletum, πεπληρωμένη.

nos ipsos, ἑαυτοὺς.

iniustitia, ἀδικίας.

ὁ λόγος.

COMMENT. IN CAP. PRIMVM.

HANC Ioannis apostoli & euangelistæ epistolam ueteres scriptam ad Parthos (quanquam ego potius uniuersaliter ad omnes ad finẽ usq; mundi crediderim) memoriæ prodiderunt. Tam latè diffusum iam erat nomẽ domini nostri IESV CHRISTI, ut Parthi fideles CHRISTO existentes, gloriã eius agnoscerẽt. Et nõ modo Parthi, sed &

ſed & Indi, & Aethiopes, Aſiani, & Afri, & Europæi, quos maxima pro parte ob ſcurauit infidelitas, & cæcauit peſſimi ſerpentis malignitas, & nō modo cæcauit, ſed & ſimul leto mortíq; dedit: nam ut uiſio uiſibilis, oculi uita eſt, & cæcitas eius mors: ita fides uiſio qua deus uidetur, animæ uita: & infidelitas eius mors. Has igi tur mundi plagas omnes dignetur dominus qui ſolus illuminat cæcos, et uiuificat mortuos: breui ad uitam illuminare, ut uidere poſſint quod euangeliſta Ioannes audiuit, & quod plus eſt, uidit, & quod cum his omnem implet certitudinē, tactu ipſo palpauit, dicens: *Pſal.145.*

1. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod uidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerūt de uerbo uitæ, & uita manifeſtata eſt, & uidimus, & teſtamur, & annunciamus uobis uitam æternam quæ erat apud patrem, & apparuit nobis. Quod uidimus & audiuimus, annūciamus uobis, ut uos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum patre & cum filio eius IESV CHRISTO.] Certum eſt Ioannem CHRISTVM ſeculorum regem, & dominum, & uitam uiuētium, corporeis auribus audiuiſſe, oculis corporeis uidiſſe, ſupra pectus eius recubuiſſe, corporeisq; manibus contrectaſſe. Sed de hoc auditu & his auribus, hoc uiſu et his oculis, hoc tactu & his manibus, nequaq; hic intelligendū putem, ſed potius de ſpiritualibus, ſic ſpiritu CHRISTI in ſe & alijs qui illum receperunt, mentes eleuante ad arcanorum diuinorum auditum, contuitum, & contactum, quibus ſupra omnem ſenſum agnouit, quod in principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Sed ubi Ioannes maxime detegit de uerbo uitæ quod erat ab initio? In principio certe ſui euāgelij. In ipſo (inquit) uita erat: ſed & uitam æternam, cum dicit: Et deus erat uerbum. Et quod ait: Quæ erat apud patrem, hoc eſt quod in euangelio dixit: Et uerbum erat apud deum. Et id: Et uita manifeſtata eſt, & uidimus, & teſtamur, & annunciamus uobis. & paulo poſt: Et apparuit nobis, id ipſum eſt quod in euāgelio ſuo dixit: Et uerbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. & uidimus gloriam eius, gloriā tanq; unigeniti à patre, plenū gratiæ & ueritatis. Proinde hac in parte, hæc Ioannis epiſtola, quædam eſt ἀνάμνησις, & rememoratio eorum quæ ſunt in ſuo euangelio: quod iam ij ad quos ſcribebat, accepiſſe & audiuiſſe potuerant, in quo plenius annunciabat de uerbo uitæ, & uita æterna quæ erat apud patrem: ubi id ἦν, id eſt erat, æternitatis nota eſt. Sed ad quid miſit fidelibus tam ſublime euangeliū quod cōſonat epiſtolæ, & tam inſignē epiſtolā quæ cōſonat euangelio? Certe ut habeant cum apoſtolis communionem, ſintq; ſimul CHRISTO incorporati & couniti tanquam membra corporis ſuo capiti, & ſint ciues & domeſtici dei, & hæredes regni cœleſtis, & cum apoſtolis ſocietatem conſortiumq; habeant cum æterno patre & filio eius redemptore noſtro, domino noſtro IESV CHRISTO, ſintq; pariter gloriæ eius participes. Et inſuper ad eos ſcribit, ut relictis uanis gaudijs carnis & mundi, quæ nunquam ſatiant aut implent, gaudeāt gaudio uero & ſpirituali, quod non uanum & inane, ſed gaudium plenū eſt, ut ſubiungit, dicēs: *Ioan.1.* *Ioan.1.*

2. Et hæc ſcribimus uobis ut gaudeatis, & gaudium ueſtrum plenum ſit.] De gaudio pleno audierunt apoſtoli à domino ex Ioannis euangelij cap.15. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego præcepta patris mei ſeruaui, & maneo in eius dilectione. Hæc loquutus ſum uobis, ut gaudium meum in uobis ſit, & gaudium ueſtrum impleatur. Itē cap.16. Vſq; modo non petiſtis quicqnam in nomine meo. Petite, & accipietis, ut gaudium ueſtrum ſit plenū. Rurſus cap.17. Hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis. Sed hoc gaudium, hæc communio, hoc diuinum conſortium nequaquam haberi poteſt à nobis, niſi in luce fuerimus quæ

est CHRISTVS & uerbum eius, sanctū dei euangelium. De CHRISTO alio lo-
Ioan.1. co dicit Ioannes: Erat autem lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, proinde subdit:

5 » Et hæc est annunciatio quam audiuimus ab eo, & annunciamus uobis: Quo-
» niam deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Si dixerimus quoniam societatē
» habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & ueritatē non facimus.
» Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus adinui-
» cem, & sanguis IESV CHRISTI filij eius emūdat nos ab omni peccato.] Hæc (inquit) est annunciatio quam audiuimus ab eo: nam dominus apud Ioannē cla-
Ioan.2. mat ad populum: Ego lux ueni in mundū, ut omnis qui credit in me, in tenebris
Ioan.3. non maneat. Et alibi: Qui facit ueritatem, uenit ad lucem, ut manifestentur opera eius quia in deo sunt facta. Cum ergo ipse sit lux, & deus sit lux, & lux immensa, in eo tenebræ non sunt ullæ. At quomodo tenebræ essent in eo, cum tenebræ luminis & boni priuatio sit, in eo autē nihil boni deesse possit? Cū ergo ita sit: si consortiū eius habere uolumus, nobis in luce, bonitate, ueritate, fide, charitate, & id genus ambulandum est. Nam si dicerimus nos cum eo consortiū habere, & in tenebris, malicia, falsitate, infidelitate, carne, mutua æmulatione, & id genus ambulamus: mēdaces sumus, & falsitatis operatores, imò & mali & infideles, carnales, inuicem odientes & odibiles, & omne malum. Si autem in luce ambulamus, sicut ipse in luce est: nos adinuicem, id est, ipse nobiscum & nos cum eo consortiū habemus. Ex nobis ipsis tenebræ sumus, ipse ex se lux est: quomodo ergo sine eius cōsortio in luce ambularemus, nisi nos in eo qui ipsa lux est, & ipse esset in nobis? Tenebræ, dei ignorantia: lux, dei cognitio. Tenebræ, malum: lux, ipsum bonum. Tenebræ, peccatum: lux, gratia. Tenebræ, infidelitas: lux, fides. Tenebræ, caro: lux, spiritus. Tenebræ, falsitas: lux, ueritas. Tenebræ, mundus: lux, deus. Quomodo ergo poterimus ambulare in luce, quos tenebræ peccatorum circumstant atq; omni ex parte ambiunt & inuoluunt? Sanè ex nobis ipsis impossibile est: sed sanguis IESV CHRISTI filij dei emundat nos ab omni peccato, & tenebras effugat, gratiam suam, spiritum fidei suæ & seipsum nobis insinuans & largiens, præsentia lucis tenebras absorbente, qua absente continuo ipsæ tenebræ adsunt. Proinde nemo quantū est de se, cogitet se sine peccato esse: nemo se iustificet, alioqui seipsum seducit & in peccato est, quod subiungit Ioannes apostolus, dicens:

4 » Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & ueritas
» in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat no-
» bis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.] Qui dicit se peccatum non habere, seipsum ignorat, & est tenebræ: quare ueritas quæ lux est, non est in eo. Et etiam hoc ipso peccat, seipsum iustificādo, quod solius dei munus est: quia ex nobis ipsis non nisi peccatum sumus, non nisi peccata habemus. Quid est ēm uetus homo ex se, nisi fomes peccati? Ex deo autem solo iustificatio. Qui dicit se
Luce 18. peccatum non habere, similis est pharisæo qui dicebat: Non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, uelut etiam hic publicanus: qui hoc ipso quod se peccatum non habere dicebat, etiam peccatum habebat, addens peccatis peccatum. Ergo nostrum est peccata nostra deo confiteri. Et ipse fidelis & iustus est, ut remittat nobis peccata nostra: fidelis quidem ut impleat promissa, qui promisit remissionem peccatorum, & iustus, qui iustificat, qui & publicanum se humiliantem, & sese peccatorem confitentem iustificauit. Fidelis quidē, ut in beneficio effusi sanguinis filij sui pro nobis, emūdet nos ab omni iniquitate. Itaq; qui diceret se peccatum non habere, uerbo dei tanquam falso, aduersaretur, qui per prophetā
Psal.115. pronunciauit, quia omnis homo mēdax, ipsumq; perinde atq; mendacē duceret.

Et ipse

Et ipse dominus apud Matthæum dixit discipulis suis: Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Et Lucas addit: Pro uobis. Si ergo ne apostoli quidē essent sine peccatis, pro quorum remissione se pollicetur CHRISTVS sanguinē suum fundere, quis audeat dicere se sine peccato esse? Qui ergo negant se peccata habere, negāt dominum pro ipsis mortuum esse, qui pro ipsorum et omnium peccatis mortuus est, Propter quod subdit Ioannes: *Matth. 27.* *Lucæ 22.*

5 Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & uerbum eius non est in nobis.] Quū dominus sciret nos sine peccatis uitā nostrā, quantum ex nobis esset, transigere non posse, docuit nos orare ad patrem: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et si dei gratia peccata nobis non imputantur, sed remittuntur, sed præsentia lucis & spiritus CHRISTI teguntur, & non imputantur: peccata tamen habemus, & in nobis manet in hac uita fomes concupiscentiarum quod est omne peccatum, sed aspersione sanguinis lotum & contritum, si hanc fidem & spiritum sequamur, & nō carnem. Et ideo si nosipsos attendimus, ut & debemus, non nisi peccatores agnoscere debemus: quia quantum ex nobis est, solum tales sumus: cum autem iusti, non nos, sed CHRISTVM, sed gratiam eius attendamus, cui omnia, non nobis, accepta referamus. Quid si quis seruus à domino libertate donatus est: si se ex se attendit, quid aliud attendit quàm seruum? quod si se liberum, quid aliud quàm dominū, & domini gratiam quæ ipsum fecit liberum? Ergo ut ueracem testemur deum, ut uerbum eius quod est ueritatis uerbum, in nobis maneat, confiteamur nos nihil aliud esse quod nostrum sit, quàm peccatores: quod si aliud sumus, hoc nostrum nō est, sed ipsius, & id uere sentiamus cum Paulo, quod omnes peccauerunt, & egēt gloria dei, hoc est, ut glorificent deum qui solus miseretur, iustificat, & à peccatis liberat, & eius gloria est misereri & iustificare peccatores etiā gratis sua gratia & misericordia. Illi igitur omnis gloria in seculorum secula. Amen. *Rom. 3.*

CAPVT SECVNDVM.

6 FILIOLI mei, hæc scribo uobis ut non peccetis. Sed et si quis peccauerit, [aduocatum] habemus apud patrē IESVM CHRISTVM iustum, & ipse est propitiatio [pro peccatis] nostris: non pro nostris aūt 7 tantum, sed etiam pro totius mundi. Et in hoc scimus quoniam cognouimus eum, si [mandata] 8 eius obseruamus. Qui dicit se [nosse deum,] & mandata eius non custodit, mendax est, & in 9 eo ueritas non est. Qui autem seruat uerbum eius, uere in hoc charitas dei perfecta est. In hoc 10 scimus quoniam in ipso sumus. Qui dicit se in [CHRISTO] manere, debet sicut ille ambula 11 uit & ipse ambulare. [Charissimi,] non mandatum nouum scribo uobis, sed mandatū uetus quod habuistis ab initio. Mandatum uetus, est

ANNOT.

postulatorem, consolatorem, παράκλητον.

pro peccatis, περὶ τῶν ἁμαρτιῶν.

mandata, præcepta, τὰς ἐντολάς. *& infra.*

noui eum, ἔγνωκα αὐτόν.

eo, αὐτῷ.

fratres, ἀδελφοί.

12 uerbum quod audiſtis. † Iterũ mandatum nouũ
ſcribo uobis [quod] uerum eſt, ► & in ipſo & in
uobis, quia tenebræ [tranſierunt,] & [uerum lu-
13 men] iam lucet. Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrẽ
ſuum odit, in tenebris eſt uſq; adhuc. Qui diligit fra
trem ſuum, in lumine manet, & ſcandalum in eo nõ
eſt. Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, &
in tenebris ambulat, & neſcit quò eat, quia tenebræ
14 obcæcauerunt oculos eius. Scribo uobis filioli,
quoniã remittuntur uobis peccata propter nomen
15 eius. Scribo uobis patres, quoniam cognouiſtis
16 eum qui ab initio eſt. Scribo uobis [adoleſcẽtes]
17 quoniam uiciſtis malignũ. Scribo uobis [infan-
tes,] quoniam cognouiſtis patrem. [Scribo] uobis
patres, quoniam cognouiſtis eum qui ab initio eſt.
18 [Scribo] uobis [iuuenes,] quoniam fortes eſtis,
& [uerbũ] dei manet in uobis, & uiciſtis malignũ.
19 Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo
ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas patris
20 in eo. Quoniam omne quod eſt in mundo, con-
cupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum,
& [ſuperbia uitæ,] ► quæ non eſt ex patre, ſed ex
mundo eſt. Et mundus tranſit, et concupiſcẽtia eius.
21 Qui autem facit uoluntatem dei, manet in æter-
22 num. [Filioli,] nouiſſima hora eſt, & ſicut audi-
ſtis quia antichriſtus [uenit,] nunc antichriſti multi
facti ſunt. Vnde ſcimus quia nouiſſima hora eſt. Ex
nobis [prodierunt,] ſed non erant ex nobis: nam ſi
fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utiq; nobiſcum: ſed
ut manifeſti ſint quoniam nõ ſunt omnes ex nobis.
23 [Sed] uos unctionem habetis à ſancto, & noſtis
omnia. Non ſcripſi uobis [quaſi ignorantibus ueri-
tatem, ſed quaſi ſcientibus eam:] & quoniam omne
24 mendaciũ ex ueritate non eſt. Quis eſt mendax,
niſi is qui negat quoniã IESVS eſt CHRISTVS?
Hic eſt antichriſtus, qui negat patrẽ & filium. Om-
nis qui negat filium, nec patrem habet. Qui confitetur
25 filium, & patrem habet. Vos † quod audiſtis ab
initio, in uobis permaneat: quia ſi in uobis perman-
ſerit quod audiſtis ab initio, & uos in filio & patre
manebitis. Et hæc eſt [repromiſſio] quam ipſe pol-
licitus

† ab initio, ἀπ' ἀρχῆς.
id quod, ὅ.
trenſeunt, παράγεται.
lux uera, τὸ φῶς τὸ ἀλη-
θινόν.
adoleſcentuli, νεανίσκοι.
pueri, παιδία.
Scripſi, ἔγραψα.
ἔγραψα. νεανίσκοι.
uerbum, ὁ λόγος.
faſtus uitæ, uictus, facultatũ,
ἀλαζονία τοῦ βίου.
pueri, παιδία.
ueniet, ἔρχεται. anceps.
&, καὶ.
exierunt, ἐξῆλθον.
Et, καὶ.
quod neſciatis ueritatem,
ſed quod ſciatis eam, ὅτι
οὐκ οἴδατε τὴν ἀλήθει-
αν, ἀλλ' ὅτι οἴδατε αὐ-
τήν.
† ergo, οὖν.
promiſſio, ἐπαγγελία.

licitus est nobis uitam æternam. Hæc scripsi uobis de his qui seducunt uos. [Et uos unctionem quam accepistis] ab eo, [maneat] in uobis. Et nō necesse habetis ut aliquis doceat uos, sed sicut [unctio eius] docet uos de omnibus, & uerū est, & non est mendacium, & sicut docuit uos, ma-
26 nete in eo. Et nunc filioli manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confun-
27 damur ab eo in aduentu eius. Si scitis quoniã iustus est, scitote quoniam & omnis qui facit iustitiam, ex ipso natus est.

ANNOT.

Et unctio quam uos accepistis. manet, μένει.

ipsa unctio, τὸ αὐτὸ χρίσμα.

COMMENT. IN CAP. SECVNDVM.

QVOD prius admonuit uiarum lucis per quas ambulandum, & uiarum tenebrarum quæ diffugiendæ sunt, quod nō iustificemus nos ipsos, dicentes nos sine peccato esse, nos peccatū non habere, hæc ipse monuit, hæc scripsit, ut cautos nos reddat ne peccemus, ne peccatum ipsum quod nobis insitum habemus in actum uenire sinamus, dicens:

1 Filioli mei, hæc scribo uobis ut non peccetis. Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrē Iesum Christū iustū. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.] Quid debet fidelis seruus qui super omnia dominum suum amat optare: nisi ut nemo dominum suum offendat: Alioqui non ipsum perfecte diligeret. Quod quū eiusmodi sit Ioannes, nihil tam optabat, quàm quod sui, recenti adhuc partu in fide æditi filij nunquam deum offenderent: qui autem peccat, deum offendit. Non dicit, ut peccatum non habeant, sed ut non peccent. Nam peccatum nō habere quamdiu ueterem hominem circumferimus, nobis impossibile est: circumferimus autem quamdiu hanc mortalem uitam uiuimus. Sed peccare, est peccatū ipsum in actū erumpere: de quo Iacobus in sua epistola: Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum uero cum consummatum fuerit, generat mortem. Attamen Iaco. 1. si humana carnis fragilitate quis peccat aut peccauit, non desperet de uenia, non se respiciens, sed se totum effundens in propitiatorem IESVM, qui in cœlis est aduocatus, est mediator, est recōciliator pro nobis ad patrem misericordiarum. Etsi etiam ipsi ob iniustitias nostras uenia digni non sumus (nullus certe dignus) ipse nihilominus qui iustus & plusquàm iustus est, dignus est in omnibus, & pro omnibus exaudiri. Et in eo exaudimur, quia ipse est propitiatio pro peccatis nostris, si misericordiam eius supplices imploramus, & oculi nostri ad ipsum sunt intēti, Psal. 122. ut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, & non solum pro peccatis nostris (tanti fuit eius pro nobis erga nos immolatio) sed pro totius mūdi, imò si infiniti essent mundi. Tantus etiam nunc est, & tantum potest apud patrem, pontifex aduocatus & intercessor noster, ut ad se conuersos, & sibi omni fiducia hærentes propitiari reconciliareq; possit. Sola attētio, solus respectus, & sola ad eum cohærentia repropitiat, iustificat, saluat, ne nos alia, nec nos ipsos respiciamus nisi ut humiliemur, & nihilum nostrum intelligamus: in eo autem omne bonū nostrū & omnium. At quo indicio sciemus nos cognoscere eum, qui solus nobis est omnia, & omne bonum, aperit Ioannes dicens:

7 » Et in hoc ſcimus quoniam cognouimus eum, ſi mandata eius obſeruamus.] Cognoſcere dominum, eſt perfectam fidem in eo habere. Perfecta autem fides, ſecum habet integram ſpem, & ſolidam charitatem: nec ſecus hæc ab ſe inuicem ſeparari poſſunt, quàm lux, illuminatio & calor abinuicem. Illa autẽ quũ adſunt, mandatorum domini adeſt obſeruatio. Indicium igitur eſt perfectæ fidei, perfectæq; cognitionis CHRISTI, mandatorum eius obſeruatio. Quæ autem mandat CHRISTVS, continent euangelia, & reliqua apoſtolorum ſcripta. Siquidẽ mandat CHRISTVS omne bonum & ſpiritus & dei, & uetat omne malum carnis & mundi. Et eorum quæ mandat quiſq; fidelis ſecundum ſuam gratiam, & quantũ ad ſe pertinet, adimplere debet. Nam non omnia ad omnes pertinent: quandoquidem in corpore CHRISTI uaria ſunt membra. Non omnium autem omnia aut eadem officia: ſed quædam ſunt omnium quæ omnibus ſunt communia, ut fides, ſpes, charitas: quædam quorundam, quæ ſunt ſpecialia, ut prophetia, quod eſt ſecundum ſpiritum ſcripturarum intelligentia, gratia ſubuentionum & ſanitatum, & ſimilia dona. Et inditium etiam ex oppoſito eſt, eum qui non ſeruat mandata, non fide illa ſpirituali & perfecta cognoſcere CHRISTVM. Vbi enim eſt illa fides, & ſpiritus CHRISTI eſt, per quem fide per charitatem operãte adimplentur mandata: & proinde cum quis dicit ſe huiuſmodi fidem habere, mandata non ſeruans, mendax eſt. Quod ſubdit Ioannes, dicens:

8 » Qui dicit ſe noſſe deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & in eo ue-
» ritas non eſt.] Recte conficitur: Qui nouit deum, ſeruat eius mandata, cui ſententiæ ſuperior apoſtolicus ſermo atteſtatur. Ergo qui mandata eius non ſeruat, non nouit eum, mendax igitur eſt cum ſe dicit noſſe eum. Etſi fidem ſe habere putat, certe ea fides non eſt fides, niſi mortua, quæ reuera non eſt fides. Et tales ſunt qui confitentur ſe noſſe deum, factis autem negant, qui cum dicũt: Credo in deũ, & reliqua fidem dei exprimentia uerba, mentiuntur. Conuertamus igitur nos ad autorem fidei noſtræ IESVM, auxilium opemq; ab eo petẽtes ac gratiam, ut uere poſſimus dicere quod nouimus eum, & uere ei præſentare & recitare quod à temporibus apoſtolorum nobis relictum eſt fidei ſymbolum, fidem noſtram uerè teſtari, fidem perfectam, fidem uiuam, fidem ſpiritu CHRISTI & charitate informatam, cuius habemus ſignum mandatorum eius obſeruationem, quæ nũquam ſuas aſſeclas non habet ſpem de ſurſum infuſam atq; charitatẽ. Nam qui perfectã ſpem habet, ſeruat mandata: & qui perfectam charitatem, itidem ſeruat mandata. Et qui non ſeruat, nullum horum trium chariſmatum habet: ſed ſibi caro ſe illa habere, falſò adblanditur, ſemper ſibi & alijs mendax. Verum habenti dabitur, & abundabit: & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. Qui ergo ſeruat mandata, perfectam habet ſpem: & qui etiam ſeruat, perfectam habet charitatẽ, imò ſi non perfecte ſperat, ſi non perfecte diligit: impoſſibile eſt ſeruare mãdata, quũ primum & maximum in obſeruatione mandatorũ ſit perfecta charitas. Diliges (inquit) dominum deum tuum ex toto corde, & ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis, & ex omni mente tua. Et perfecta mandatorũ obſeruatio, magis interna reſpicit, totum cor, totam animam, totam mentẽ, totas uires internas, quàm externa opera. Nam nihil prohibet hypocritas externa opera habere, qui nihil neq; fidei ſpiritus, neq; ſpei, neq; charitatis habent. Ideo homines qui ſola exteriora uident, fallunt: deum autem qui intuetur cor, fallere non poſſunt. Et de tali obſeruatione uerbi dei ſubdit Ioannes:

Tit. 1. Luce 19. Luce 10.

9 » Qui autem ſeruat uerbum eius, uere in hoc charitas dei perfecta eſt. In hoc ſci
» mus quoniam in ipſo ſumus.] Recurrũt iſta in pneumaticis: Si quis nouit deũ, mandata eius ſeruat: & ſi quis ſeruat mandata dei, nouit deum: ſi quis ſpem in deo habet,

habet, seruat mandata: & si quis seruat mandata, spem in deo habet: si cui perfecta inest dei charitas, seruat uerbum eius: & si quis seruat uerbum eius, perfecta est in eo charitas. Sed quia in carnalibus hominibus hæc inesse non possunt, nō est in eis nisi humana fides, & fidei quædam persuasio, sic & spes & charitas, quæ neque adinuicem, neq; cum obseruatione mandatorum dei recurrunt. De talibus in sacra Apocalypsi ad angelum Laodiciæ loquit̃ spiritus: Quia dicis quod diues sum & locupletatus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper, & cæcus & nudus: suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, & uestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos ut uideas. Aurum ignitum, probatū, perfecta dei charitas est. Collyrium, internorum oculorum ut uidere possint deum, perfecta fides. Spes quæ ad sola cœlestia suspirat, spes alta & perfecta est, nō animalis spes. Et qui unum horum habet, tria habet, & insuper eorum opera. Proinde qui perfectam dei charitatem habet, eo ipso scit se in deo esse, non se attendens. sed sublime donū dei in quo seipsum melius cognoscit, quàm se in seipso: nam se in seipso cognoscit miserum & miserabilem, pauperem, cæcum, & nudum. In dono autē, & donorum largitore, beatum ac felicem, diuitem, & stola candida & immortalitatis & gloriæ indutum, & oculis fidei deum qui est omne bonum uidentem. Et qui in deo est, in deo manet: qui autem in deo manet, debet quemadmodū CHRISTVS qui deus est, ambulauit, ambulare, id est, CHRISTO digne, spiritualiter & diuine uiuere. Quod sanctus nobis aperit euangelista & apostolus, dicens: Apoc. 3.

10 » Qui dicit se in CHRISTO manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.] Hæc ambulatio, est in conuersatione & in toto nostræ peregrinationis tempore, conuersationis & uitæ CHRISTI dum in terris uisus est, & cum hominibus sua ineffabili miseratione conuersatus, in fide et charitate imitatio: quam ex sacris euangelijs, ex sancta CHRISTI doctrina, ut ex quodam diuino speculo haurire possumus. Ipse uero desuper dat imitationis spiritum. Alioqui sensus humanus non attingit, neq; uere speculi imaginem agnoscit, quam abscondit deus à sapientibus huius mundi, & eam reuelat paruulis. Et certū est CHRISTVM in nullo secundum carnem, sed in cunctis secundum spiritum ambulasse: quare si uolumus eum imitari, necesse est nos solummodo secundū spiritum ambulare. Ad speculum igitur mittit eos Ioannes ad quos scribit, id est fideles: quod est euangeliū quod a principio illis annunciatum est, ut uere possint sicut CHRISTVS ambulauit, & ipsi ambulare, dicens:

11 » Charissimi, non mandatum nouum scribo uobis, sed mandatum uetus, quod » habuistis ab initio. Mandatum uetus, est uerbū quod audistis.] Id autem mandatum quod ipsi à principio accessus sui ad fidem, & regenerationis gratiam audierunt, sanctum CHRISTI euangeliū est. Sed & aliud mandat eis, quod nouum est. Quid nam eis mandat? Veritatem quæ in CHRISTO est, per euangelij ueram lucem in ipsis esse. Et ait:

12 » Iterum mandatum nouum scribo uobis, quod uerum est, & in ipso & in uo» bis: quia tenebræ transierunt, & uerum lumen iam lucet.] Mandatum nouum scribit eis: scilicet id quod in CHRISTO uerum est, in ipsis etiam uerum esse, cuius rei causam subdit: quia tenebræ transierunt, & uerum lumen iam lucet. Vmbræ & obscuritates ueteris legis discussæ sunt, & lumen euangelicæ ueritatis obtinet. Tenebræ carnis euictæ sunt, & lumen spiritus rutilat. Tenebræ peccatorū transierunt, & lux gratiæ micat. Tenebræ errorum per uniuersum mundum (ubi euangelium receptum est) eliminatæ sunt, & doctrina rectæ uiæ, doctrina lucis, doctrina uitæ & ueritatis illuminat. Dicò ubi euangelium receptum est: nam in-

credulis & incedentibus in tenebris, nondum receptum est: etsi ad ipsos peruenerit. Proinde subdit Ioannes:

13 » Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usq; adhuc. Qui
» diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo nō est. Qui autem odit
» fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tene-
» bræ obcæcauerunt oculos eius.] Si fidelis fidelē odit, lumen CHRISTI in eo nō est: imò etsi fidelis sit nomine, re ipsa & opere infidelis est. Et quomodo in eo esset
Ioan.11. lumen CHRISTI, qui mandat: Diligite inuicem sicut dilexi uos: Ipse nos spiritu dilexit, & nos inuicem spiritu, non carnali amore diligere debemus: & tunc scandalum in nobis non est, cum hæc dilectio neminem offendat, & à nemine offendatur. Qui odit fratrem, eo ipso quod odit, infidelis est: perinde ac malus seruus, qui præceptum domini sui nō facit, imò oppositum, infidelis seruus est. Etsi ad ipsum lux euangelij peruenit, receptum ab eo non est, sed hostium mentis illi occlusit. Haud secus quàm si tibi in obscuro loco obambulanti atq; clauso, lumen adferatur, & audias quidem lumen ad te delatum, nisi aperias, in tenebris remanebis: si autē illatum fuerit lumen, & intrò receptum, non poterit nisi lucere, nec tu poteris nisi in sensibili illa luce ambulare: sic est de euangelica luce admissa atq; recepta. Vbi ergo non lucet, ambulatur in tenebris: & ob tenebras oculorū mentis, non est lux illa in mente recepta, sed nuncius & pulsus duntaxat auditus est, & non patuit ingressus. Ad uere ergo fideles qui non solum audierunt allatū lumen, lumen euangelicum, lumen dico ad illuminationem gentium, sed intrò admiserunt, scribit Ioannes quæ sequuntur:

14 » Scribo uobis filioli, quoniam remittuntur uobis peccata propter nomē eius.] Quod ait filioli, uehementiam dilectionis spiritualis erga ipsos insinuat, ut carnalis pater, teneritudinem paterni pectoris insinuat, cum proprium filium, τεκνία id est filiolum nuncupat. Verum est quod hæc nomenclatura, adhuc tenellis secundum carnem & paruulis magis conuenit, qua & patres carnis illis adblandiri solent. Sic & de paruulis in CHRISTO & neophytis, quibus & in lauacro sacræ ablutionis dimittuntur peccata: hoc Ioannis apostoli intelligi potest, ubi mandat & nunciat eis peccata quæ contraxerāt remitti, sed non propter opera sua, aut quod quicquam benemeruerint, uerum propter nomen Christi, ut beneficij semper respiciant autorem, & non se ullo pacto attendant. Nam nihil habuerunt propter quod peccata eis remitterentur: sed est nobis omnia Christus, non solum uenientibus ad fidem, sed & senescentibus in fide, & per omnes fidei transeuntibus ætates. Quod sensim per singulas consequenter monstrat Ioannes, subinde dicens:

15 » Scribo uobis patres, quoniā cognouistis eum qui ab initio est.] Qui sunt patres, nisi senes in fide, & qui iam multos fidei filios procreauerunt: Et qui nullum
Matth.23. patrem iuxta doctrinam euangelicam cognouerunt, nisi patrem æternum, qui fi-
Roman.8. lium suum unigenitum misit in mundum, & ei non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quem in sanctis conuersationibus diuine uiuendo imitati sunt. Deinde subdit:

16 » Scribo uobis adolescentes, quoniam uicistis malignum.] Qui sunt adolescentes, nisi qui in fide proficiunt, & incrementa perfectionis suscipiunt, insultus tamen maligni adhuc per carnem habentes? & hi uicerunt malignum: non ex se quidem, sed ex fide quod est diuinum & cœleste donum, propter dilectionē qua deus in Christo filio suo ob dispensationem carnis assumptæ, similis nobis facto diligit nos indultum. Deinde adijcit:

17 » Scribo uobis infantes, quoniam cognouistis patrē. Scribo uobis patres, quo-
» niam cognouistis eum qui ab initio est.] Infantes siue pueri in Christo, sunt qui adhuc

adhuc lacte fidei, minusq; solido cibo aluntur, qui patrẽ regenerationis nouerũt, id est deum agnouerunt. Dedit enim (inquit) potestatem filios dei fieri, ijs qui nõ ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex deo nati sunt: qui prius solum patrem carnalem, terrenum, mortalem agnouerant: & hoc in nomine CHRISTI dilectissimi filij dei cõsequuti sunt, omnia omnes in CHRISTO consequuntur. Patres autem sunt adulti & senes in fide, ut Numero 15. dictum est. Subdit insuper: *Ioan. 1.*

18 Scribo uobis iuuenes, quoniam fortes estis, & uerbum dei manet in uobis, & uicistis malignum.] Iuuenes sunt qui omnino fortes & ualidi in fide sunt, & hi mente, id est, spiritu & gratia robusti, ut ætate iuuenes uiribus corporis ualidi. Quod si adolescentes uicerunt malignum, tanto magis iuuenes qui fortitudine spiritus sunt ualentiores, & armatura fidei, nullo aduersæ potestatis tenebrarum telo penetrabili muniti. Hanc tamen uictoriam proprijs uiribus non tribuunt: sed uerbo dei quod manet in eis, id est fidei, & autori eius qui hanc illis fortitudinem & fidei πανοπλίαν desuper benignissime indulsit. Et hi tres, adolescẽtes, infantes, iuuenes, medij sunt inter neophytos, quibus primum peccata dimittuntur, & patres qui senes in CHRISTO sunt & spirituali prole fœcundi: suntq; hi gradus quasi ætates fidei & uere fidelium: Neophyti, infantes siue pueri, adolescentes, iuuenes, patres siue senes. Post hæc dat Ioannes præcepta, ne fidei incrementa præpediantur, sancta generatio inquinetur, & imitatio peruertat. Quorum primum est huiusmodi:

19 Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundũ, non est charitas patris in eo.] Fieri non potest, ut quisquam contrarijs simul diligat amoribus, ut neq; simul possit in contraria ferri. Amor autem dei, & amor mundi, contrarij sunt. Ille purus, sanctus, spiritualis, uiuificans, simplex, eleuans, & in deum transformans: hic impurus, prophanus, mortificãs, uarius, deprimẽs, & reparatam dei imaginem deformans. Illo in cœlis, pulchris, æternis, luciformibus iugiter oculus noster interior in libertate uersatur, socius angelorum factus: hoc, in terris, fœdis, caducis, tenebrosis, tanquam tetro in carcere seruus detinet, socius malignarum potestatum factus. Quid ni igitur prohibeat Ioannes filios suos quos ad spiritualem uitam educat, diligere mundũ, & ea quæ in mundo sunt, quũ sic amantium amor sit carnalis, filiorum autẽ spiritualis? quũ sic amantibus, imò potius amentibus, amor æterni patris, amor cœlestis, amor uiuificans inesse non possit? quum & omnis anima quæ hoc amore non amat, mortua sit? Sed quæ sunt in mundo quæ nos diligere uetat continuo aperit, dicens:

20 Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & superbia uitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, & concupiscentia eius.] Nomine mundi, mundanos & carnales intelligimus. Et ad tria summatim reducit ea omnia quæ hoc modo in mundo sunt, qui à suæ creationis origine syncerus & mundus, à sua puritate ueneno maligni corruptus excidit ad illa tria, scilicet, ad luxum carnis, quæ fœda est carnis uoluptas, & quam appellat concupiscentiam carnis. Ad auariciam, quæ est opum congerendarum insatiabilis uorago, quam & appellat concupiscentiam oculorũ. Nam ut de auaro inquit Ecclesiastes: Non satiantur oculi eius diuitijs. Et alibi: Insatiabilis oculus cupidi. Et ad fastum ac ambitionẽ quæ est uanorum honorum, ut regnandi, dominandi in mundo uanissima cupido, quã nuncupat superbiam uitæ. Quicquid enim homines carnales, mundani, animales secundum carnem & concupiscentias mundi ambulantes faciunt, aut faciunt propter fœdas carnis uoluptates, aut propter damnosas opes & diuitias, aut propter *Ecclesiastes 4. Ecclesiastici 14.*

uanum fastum,& uitæ splẽdorem qui ad momentũ pertransit. Si deum non amas & proximum,hoc ideo est quia fœdas uoluptates amas, aut transitorias diuitias, aut falsos mundi honores. Si deieras nomen dei,ob aliquod horum facis. Si furtũ facis,ob id ipsum. Si homicidium,nihilominus. Hic uenenum porrigit, ut principem è throno deijciat,hoc ad superbiam uitæ. Ille loculis inhians, diuitem enecat,hoc ad oculorum concupiscentiam. Alius insidians thoro, uirum insidijs aufert,hoc ad concupiscentiam carnis. Neq; aliud reperias in filijs tenebrarũ quàm horum aliquod,nunc seiunctum,nunc alij aut alijs coniunctum. Concupiscentia carnis sulphur est,quo fœtent,et in pleriscq; palus est Asphaltis,qui est Sodomorũ lacus,& quo iam inferni præueniunt fœtores. Concupiscentia oculorum, ignis, iam in hoc mundo animas exurens,& ignem præcurrens gehennalem. Superbia uitæ,maligni flatus in altum aliquod mundi supercilium attollens, ut inde præci-
Isa.14. pitet in inferni profundũ. Sicut Esaias de rege Babylonis ait: Detracta est ad inferos superbia tua,concidit cadauer tuum, operimentũ tuum erũt uermes. Et subditur: Veruntamen ad infernum detrahêris in profundum laci,ubi (ceu uerisimile est) erit plusquàm dici potest,aut cogitari,pro uoluptate,tristis & intolerabilis tristitia: pro diuitijs, in insatiabili igne egestas: pro mundana eleuatione & gloria, profundissima deiectio & perpetua ignominia. Quare? Quia hæc nõ sunt ex cœlesti patre,sed ex mundo. Mundus autem transit & concupiscẽtia eius,quia mundus contrarius est deo,& concupiscentia mundi,deo inimica: & utrumq; uanitas: deus autem ueritas,quæ nunquam transit. Ideo subdit Ioannes:

21. Qui autem facit uoluntatem dei,manet in æternum.] Fac uoluntatẽ mundi, qui transit & interit: transibis & interibis in æternum. Fac uoluntatem dei qui nõ transit, non interit, sed perpetuo manet summum & incomprehensibile bonum: & nunquam transibis,nunquam interibis, sed in plenitudine inexcogitabiliũ bonorum manebis in æternum. Voluntatem autem patris faciunt filij lucis, mundo mortui,uiuentes deo. Vita mundi, concupiscentia: uita dei, spiritus. Cum ergo mortui sint mundo,concupiscentia carnis,concupiscentia oculorum,& superbia uitæ in eis extincta & mortua sunt,nullus fœtor carnis illos coinquinat: sed thure spiritus,sancta oratione,& casto corde redolent ante deum,quæ charitas spiritus cœlestis quidem ignis,non ignis concupiscentiarum aut diuitiarum adolet. Profunda humilitas ante deum,et suijpsius annichilatio facit, ut nullum eos subruere possit præcipitium. Vt enim qui superbia tolluntur in summo,præcipitantur: sic quos uera humilitas collocat in imo,sursum attolluntur. Si terrenus es, quamuis spiritualis cœlestisq; uita quam CHRISTVS & apostoli nunciant,sit omnino tuæ uitæ contraria: illam tamen uidere,id est intelligere nõ potes,quia cæcus es, & in tenebris mentis & intelligentiæ detẽtus. At contrà, spiritualis prorsus cognoscit quàm abominabilis sit terrenorum uita: quia in lumine est. Vidẽs enim, miseriam cæcorum intelligere potest: at cæcus, quæ uita sit uidentis non potest apprehendere. Filiorum lucis uita,habitus est,aut potius quædam uiua energia. Filiorum tenebrarum uita,priuatio,& ad omne bonum inefficacia. Hi uoluntatem mundi: illi uoluntatem patris,id est dei semper faciunt. Hi transeunt ut fumus,illi manent in æternũ. Excitemini ergo terreni,carnales: incurui erigamini,erectis patet cœ-
Psal.145. lum. Cæci clamate ad dominũ,quia dominus illuminat cæcos: ut possitis cernere lumen uerum,& uestras discutere tenebras, & uoluntatẽ patris facientes manere in æternum. Quid mortem,quid tenebras, & nõ potius uitam æternam & lucem diligitis immensam? Nos omnipotens dominus ad sua regna uocauit: nos ex nobis solis perimus,sicut dicit dominus in Osee 13. Perditio tua ex te Israël: tantummodo in me auxilium tuum. Consequenter autem Ioannes suos admonet eorum

& quæ

& quæ tunc erant, & quæ in nouissimo tempore futura erant. Nam audierant antichristum uenturum qui maxime aduersaretur CHRISTO, & contraria euangelio sanciret. Sed & tunc erant filij quidam sathanæ & perditionis, qui cõtraria euangelio, quæ sola est doctrina uitæ & salutis, inducere molirentur. Et ideo nouissimum tempus iam incipiebat, & præcurrebat futurus antichristus in conformitate illorum uitæ atq; in similitudine. Ideo subiungit:

18 » Filioli, nouissima hora est. Et sicut audistis quia antichristus uenit: nunc anti-
» christi multi facti sunt. Vnde scimus quia nouissima hora est. Ex nobis prodierũt,
» sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.
» Sed ut manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis.] Horam ponũt Græci pro tempore. Et id ὁ ἀντίχριστος ἔρχεται, iustius interpres interpretatus fuisset: Veniet aut uẽturus est, quod ἔρχεται, utroq; tempore & præsenti & futuro usurpari soleat: hic autem magis sensus exigitur futuri. Et tunc multi antichristi erant, qui uiuebant contra euangelium, & docebant cõtraria euangelio, qui & ad baptismũ uenerant, sanctorum associati numero: ideo ex ipsis, id est societate fidelium prodierant: sed non erant ex ipsis, quia ipsi erant electi, & uere fideles: illi uero neque erant electi, neq; fideles, alioqui uixissent secundum euangelium, & credidissent euangelio. At neque uiuebant secundum euangelium, quia uixissent secundum spiritum Christi, illi autẽ uiuebant secundum carnem aut sathanæ spiritum: neq; credebant euangelio, nam sine spiritu dei credere euangelio impossibile est, sed se electorum cœtui adiungentes, & fidem Christi promittẽtes, lingua sua mentiti erant deo: ut Simon Samarites, ut Cherinthus, ut Marcion, ut Hebion, primi inter infideles primogeniti sathanæ. Et hi antichristi, post quos per spiritũ Christi alius insignis significabatur futurus antichristus, qui dicitur homo peccati, & filius perditionis, qui siue sit Machumetes cum sua bestiali secta, siue alius, aliáue secta, alijs relinquo qui ad hoc iudicandum habent spiritum. Non, inquit, erant ex nobis, id est (ut dictum est) ex electis: nam qui uere electi sunt fideles, iuxta uocationem & electionem suam uiuunt & permanent. Qui autem secus (etsi inter electos uersentur, & de illis exeant) non tamen sunt ex illis. alioqui secus uiuerẽt, & nunquam ab instituto euangelico discederent, sed in ipso iugiter permanerẽt: sed illi ad hoc ipsum exeunt, ut manifesti sint qui inter eos qui dicuntur fideles, electi sint, & qui non, qui filij Christi, & qui filij diaboli. Non satis est dici fideles: nisi uere & re ipsa sint fideles. Quæ scribebat Ioannes ad fideles non quia hæc ignorarent, maxime qui spiritum fidei acceperant, & unctionem à spiritu sancto: sed quod illi refugæ, etsi exteriorem lotionem acceperant, nõ tamen nouerant internam, quæ est unctio à sancto, neq; uas recipiendo spiritui sancto aptum, ad lauacrum attulerant, quales sunt omnes, qui unctionem internam non sentiunt. Idcirco subdit Ioannes:

23 » Sed uos unctionem habetis à sancto, & nostis omnia. Non scripsi uobis quasi
» ignorantibus ueritatem, sed quasi scientibus eam: & quoniam omne mendacium
» ex ueritate non est] Beati qui chrisma, id est unctionem à CHRISTO & spiritu eius accipiunt, quo omnia quæ ad diuinam cognitionem, fidem, pietatem & salutem pertinent edocentur. Qui hanc unctionem accipiunt, comparticipes sunt eorum de quibus dicitur: Paracletus autem spiritus sanctus quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia quæcũq; dixerim uobis. Et hi nõ seducunt, neq; seducunt, quia ueritatẽ norũt, & unde sit ipsa, quia à deo qui est ipsa absoluta ueritas. Et nouerunt quod mendaciũ à ueritate non est: ut tenebræ à luce, uitium à bonitate, peccatũ à gratia, & iniquitas à iustitia. Ergo qui mendax est, id non est ex ueritate. Ideo subdit Ioannes: Ioan. 14.

24 » Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam IESVS nō est CHRISTVS? Hic est
» antichristus, qui negat patrem & filium. Omnis qui negat filium, nec patrem ha-
» bet: qui confitetur filium, & patrem habet.] Quem dixerimus mendacem, nisi
eum dixerimus, qui sic negat quod IESVS sit CHRISTVS, quod IESVS sit Me-
siach promissus? id ipsum uult Ioannis loquēdi tropus. Qui certe sic negat, dicēs:
IESVS non est CHRISTVS, negat patrem eius esse deum. Et qui negat patrē, ne-
Matth.17. gat IESVM esse dei filium. Negat inquā patrē, qui de IESV testatus est: Hic est
filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Negat filiū, qui
Ioan.17. de patre & seipso dixit: Hæc est autem uita æterna, ut cognoscāt te solū deum, &
quem misisti IESVM CHRISTVM. Et quid ni esset antichristus CHRISTOq;
aduersarius, qui sic negat? Qui cum neget filium, patrem perdit: nam omnis qui
Matth.10. negat filium, non habet patrem, dicēte domino: Qui autem negauerit me coram
hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in cœlis est. Et contrà qui
confitetur filium, hic quoq; patrem habet, dicente domino: Omnis ergo qui con-
fitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum corā patre meo qui in cœ
lis est. Quid igitur restat nostræ salutis? Nihil sanè. Stemus duntaxat immoti & in-
concussi in ijs quæ ab initio nostræ uocationis ad CHRISTVM, audiuimus
quod IESVS est CHRISTVS, quod Iesus est filius dei, & deū per ipsum habebi
mus patrem, & filium eius nostrum redemptorem. Stemus euangelio, & creda-
mus ei. Ad quos & eos hortatur Ioannes, inter quos erant aliqui filij mendacij, ad
uersarij CHRISTI, & animarum seductores, dicens:

25. Vos quod audistis ab initio, in uobis permaneat: quia si in uobis permanserit
» quod audistis ab initio, & uos in filio & patre manebitis. Et hæc est repromissio
» quam ipse pollicitus est nobis, uitam æternam. Hæc scripsi uobis de ijs qui sedu-
» cunt uos. Et uos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in uobis. Et non ne-
» cesse habetis ut aliquis doceat uos: sed sicut unctio eius docet uos de omnibus, &
uerum est, & nō est mendacium. Et sicut docuit uos, manete in eo.] Nullius rei,
nullius doctrinæ, nullius scientiæ auditio saluat: nisi auditio fidei & doctrinæ euan-
gelicæ. Quia est semen uitæ, quod Christus qui est uita, seminauit in cordibus eo
rum qui sunt suæ partis, quod contrarium est & antidotum aduersus semen mor-
tis, quod diabolus qui mors est seminauit in corde Adā, & in ijs qui sunt suæ par-
tis, id est primæ & carnalis generationis. Semen autem uitæ nisi maneat ubi semi
Matth.13. natum est, non affert fructum: & cum uolucres cœli, id est diaboli, tollunt illud,
cum arescit in corde saxeo, aut cum uepres aut spinæ curarum & solicitudinum
mundi suffocant illud. Ergo in his firme manendum est, quæ à principio audiui-
mus, quæ cœlestis pater qui est mentium agricola, per filium seminauit: unde no-
bis inæstimabile bonū pendet, scilicet cum patre & filio permanentia: & nos fru-
Ioan.6. ctus omnium precios issimus manet, qui est uita æterna. Nam filius qui est ipsa ue
ritas, ipse nobis eam promisit, dicens: Hæc est uoluntas patris qui misit me, ut om
nis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego resuscitabo
eum in nouissimo die. Et rursus: Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cogno
Ioan.10. sco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis, & nō peribunt in æternū.
Et hanc uitæ æternæ promissionē apostoli audierunt, & ipsi nobis fidelissimi sunt
testes. Cur autem hanc permanendi in ijs quæ à principio audierunt, ad eos scrip-
serit exhortationem, causam adhibet Ioannes, hoc ipsum fecisse ratione seducto-
rum qui ab electis exierant, sed non erant ex ipsis, quorum etiam nonnulli sedu-
cendi, id est proprij dogmatis inducendi gratia, dicebant se ab apostolis audiuisse
quæ non audierant, qualia Papias Hierapolitanus multa confinxisse scribitur. At
ipsi ad quos scribebat nondum erāt corrupti, sed unctionē à Christo acceperant,

id est

id est, spiritus sanctus manebat in eis. Et ideo nō scribebat ut eos doceret (quis enī doceret à spiritu sancto doctos) sed eos seductorū duntaxat admoneret. Sufficiebat enim, & plusquàm sufficiebat ipsa unctio, ad ipsos docendum perquàm sufficienter: quia uerax est, & minime omnium mendax. Et ut quemadmodū eos sancta unctio de CHRISTO docuit, in eo permaneant perseuerentq;. Constanter enī docuit CHRISTVM esse dei filium, & omnē ueritatem. Sic dominus prædixerat dicens: Cum autem uenerit ille spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem. Ioan. 16.
Et in cœtu fidelium tres gradus sunt, incipientes, proficientes, et perfecti. Incipientes, & proficientes, adhortatione adhuc egent, cum periculum ingruit: perfecti autem non. Et omnes hi unctiones habent, incipientes quidem minus radicatam, non ex conditione unctionis, sed ex imbecillitate suscipientis: deinde fortius in proficientibus hæret, firmissime autem in perfectis. Pro incipientibus igit & proficientibus, maxime præcedēs posita est exhortatio, etsi quæ aliæ ponunt. Verum nunc pauci incipientes, pauciores proficientes, & paucissimi perfecti. Vnde fermè nostra ætas non solum exhortatione, sed maxime doctrina eget, & id urgentissime implendum domini uerbum: Prædicate euangelium omni creaturæ, ut quæ uix unctionis à sancto sensum habeat, præter eam quæ foris adhibetur in signū uiuæ & internæ unctionis quæ à spiritu sancto est, unde uncti, id est CHRISTI dicimur non ab externa, ut consortes & comparticipes CHRISTI simus, de quo scriptum est: Vnxit te deus, deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Petrus & Paulus, & primi primitiuæ ecclesiæ fideles in baptismate interna unctione uncti sunt, & arbitror sola, ut CHRISTVS qui externa non est usus, posteriores addiderunt externam in signum, sed illa non sumus similes CHRISTO, neq; illa docet omnia, det oībus internam Christus. De quo subdit euangelista: Marci 16. Psal. 44.

16. Et nunc filioli manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, & nō confundamur ab eo in aduentu eius.] Quàm diu fides uiua CHRISTI est in nobis manemus in eo. O mansio felix, O secura & beata quies in deo manere: quia cum apparuerit siue in aduentu particulari in egressu nostro ex hoc mundo in alterū, siue uniuersali cum in maiestate iudicaturus orbem aduenier, si in eo manserimus, plenam in eo habebimus fiduciam quod confundi non poterimus. Et quid mirum? cum ipse sacro ore de ouibus suis dixerit: Et non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Sed docet nos opere ipso implere iustitiā quæ est lex à diuina patris uoluntate profecta, quod subdit Ioannes, dicens: Ioan. 10.

17 Si scitis quoniam iustus est, scitote quoniam & omnis qui facit iustitiā, ex ipso natus est.] Omnis fidelis nouit CHRISTVM esse iustum, imò solum eminēter, & etiam plus quàm eminēter iustum, qui de deo patre dicebat: Ego quæ placita sunt ei facio semper. Et alibi: Venit enim princeps mundi huius, & in me nō habet quicquam, sed ut cognoscat mundus quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Iustitia ergo, est facere quod nobis in euāgelio mandat faciendum, quod nemo facit, nisi qui ex deo natus est: nam solus talis spiritū fidei accepit, per quem operatur iustitiam & opera fidei, per quam iustificatur. Ergo ut uerè sciamus et cognoscamus quia ex deo nati sumus, nunquam ab euangelica doctrina discedamus, nunquam à uoluntate patris facienda, quod sanctum continet euangelium, & beneplacita patris & filij faciemus semper, & utriusque mandata seruabimus: quia beneplacita patris, sunt beneplacita filij, et mandata patris, mandata filij. Et hæc est iustitia, & hoc iustitiam facere, per quod uere cognoscimus quod ex deo nati sumus, & conuersatione & uita quodammodo similes proprio, connaturali & cōsubstantiali filio dei, qui uoluntatē patris facit semper. Cui cum filio, & spiritu sancto honor, decus, & imperiū in secula seculorū. Amen. Ioan. 8. Ioan. 14.

CAPVT TERTIVM.

28 VIDETE qualem charitatem dedit nobis pater, ut filij dei nomi-
29 nemur ► & simus. Propter hoc mundus non nouit [nos:] quia
30 non nouit eum. [Charissimi,] nunc filij dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniã [cum apparuerit,] similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti
31 est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, [sanc-
32 tificat se, sicut ille sanctus est.] Omnis qui facit peccatum, & [iniquitatem] facit: & peccatum
33 est iniquitas. Et scitis quia ille apparuit ut peccata tolleret, & peccatũ in eo non est. Omnis qui in eo manet, non peccat.
34 Et omnis qui peccat, nõ uidit eum, nec cogno-
35 uit eum. Filioli, nemo uos seducat. Qui facit iu-
36 stitiam, iustus est, sicut & ille iustus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniã ab initio dia-
37 bolus peccat. [In hoc] apparuit filius dei, ut
38 dissoluat opera diaboli. Omnis qui natus est ex deo, peccatum non facit, quoniã semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex
39 deo natus est. In hoc manifesti sunt filij dei, &
40 filij diaboli. Omnis qui non [est iustus,] nõ est ex deo, & qui non diligit fratrem suum, quoniam hæc est annunciatio quã audistis ab initio, ut di-
ligatis [alterutrum.] Non sicut Cain, qui ex mali-
gno erat, & occidit fratrẽ suum. Et propter quid occidit eum? quoniam opera eius maligna erant:
41 fratris autẽ eius, iusta. [Nolite mirari fratres,]
42 si odit uos mundus. Nos scimus quoniã translati sumus de morte ad uitam, quoniam diligimus
43 fratres. Qui non diligit, manet in morte.
44 Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet ui-
45 tam æternam in se manentem. In hoc cognouimus charitatem ► dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fra-
46 tribus animas ponere. Qui habuerit [substantiam] huius mundi, & uiderit fratrem suum [necesse]

ANNOT.

nos, ὑμᾶς.

ἀγαπητοί, & infra.

si apparuerit, ἐὰν φανερωθῇ.

purificat seipsum, sicut & ipse purus est, ἁγνίζει ἑαυτὸν, καθὼς ἐκεῖνος ἁγνός ἐστι.

legis transgressionem. τὴν ἀνομίαν.

Ad hoc, εἰς τοῦτο.

facit iustitiam, ποιῶν δικαιοσύνην.

inuicem, ἀλλήλους. & infra.

mei, μου.

victum, τὸν βίον

necessitatem, χρείαν.

ceſſe] habere, & clauſerit uiſcera ſua ab eo: quo=
48 modo charitas dei manet in eo? Filioli mei, nõ
diligamus uerbo neq; lingua, ſed opere & ueri=
tate. In hoc cognoſcimus quoniã ex ueritate ſu=
mus, & in conſpectu eius [ſuadebimus corda no
49 ſtra.] Quoniam ſi [reprehenderit] nos cor no
ſtrum, maior eſt deus corde noſtro, & nouit om
50 nia. Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehen=
derit nos, fiduciam habemus ad deum, & quic=
quid petierimus, [accipiemus] ab eo, quoniam
[mandata] eius [cuſtodiamus,] & ea quæ ſunt
51 placita coram eo, facimus. Et hoc eſt manda=
tum eius, ut credamus in nomine filij eius IESV
CHRISTI, & diligamus alterutrum, ſicut dedit
52 mandatum nobis. Et qui ſeruat mandata eius,
in illo manet, & ipſe in eo. Et in hoc ſcimus
53 quoniam manet in nobis, [de ſpiritu] quem de=
dit nobis.

ANNOT.

confidere faciemus corda no=
ſtra, confidemus cordibus no=
ſtris, πείσομεν τὰς καρδίας ἡμῶν. *condemnet*, κατα=
γινώσκῃ. *& infra.*

accipimus, λαμβάνομεν. τὰς ἐντολάς. *& infra.*
ſeruamus, τηροῦμεν.

ex ſpiritu, ἐκ πνεύματος.

COMMENT. IN CAP. TERTIVM.

NDICIVM eſt quod ſumus filij dei, ſi uoluntatẽ & mandata eius implemus, ſicut CHRISTVS filius dei in mundo conuerſatus impleuit, nos ad hoc ſuo exemplo inſtituens, & iuſtitia ſua nos ſanctificans. Sed unde hoc ut rex ille incomprehenſibilis maieſtatis, ſub limitate inacceſſibilis, & poteſtate ineffabilis uoluerit nos ſic honorare, ut filij eius nominemur & ſimus, quo nullus honor creaturæ accedere poteſt maior? Quid fecimus unde hoc nobis debeatur? Nihil prorſus, ſed fecimus unde nobis ſumma ignominia deberet & confuſio. Sed hæc ſola ſummi patris fuit bonitas, & eius infinite bona uoluntas, qui uoluit proprium filium hominẽ fieri, & nobis natura excepta (ut ſic dicam) peccantia fieri ſimilem. In quo quidem nobis ſimili facto ſic nos dilexit, tantamq; exhibuit charitatem, ut filij dei nominemur et ſimus, quod totum illi acceptum referre debemus. Et hæc eſt ineffabilis dei bonitas, & quæ excogitari non poteſt immenſa erga nos in filio dei homine facto patris charitas. Ad cuius conſiderationẽ, ut in illa bonitate & erga nos dei charitate mens noſtra liqueſcat, inuitat Ioannes, dicens:

28. Videte qualem charitatẽ dedit nobis pater, ut filij dei nominemur & ſimus.] Quis illi charitati qua nos pater æternus filios ſuos fecit, in charitate reſpondeat, niſi ſolus filius, qui deus & homo eſt, pro omnibus reſpondeat hominibus? imò ſi omnes homines ſimul ſic charitate feruerent, ut præ uehementia illius in nihilum liqueſcerent: ne minima quidem particula eſſet illius charitatis, qua filius dei prò inſufficientia hominum, fratrum quidẽ illa immenſa dei erga nos benignitate ſuorum, patri ſatisfacit. Attamen uult nos pro noſtra uirili & noſtro captu in charitate etſi finiti filij, infinitam filij ſui charitatem æmulari, etiam longe ſupra nos id largiẽte ſpiritu eius. Sed an mundus cognoſcit filios dei? Miníme. Mundus filios ſuos cognoſcit, & patres carnalis generationis: patrem autẽ diuinæ generationis

nec mundus nec filij eius norunt, sed ignorant, & generationem illam: quia non à mundo est, sed est mundo sublimior: non carnalis, non terrena, non uisibilis: sed spiritualis, cœlestis, inuisibilis. Propter quod subdit Ioannes:

29 » Propter hoc mundus non nouit nos, quia non nouit eum.] Mundus (ut dictū est) mundani sunt homines, ut uoluptuosi, auari, superbi et ambitiosi. Et nemo filios dei nouit: nisi qui nouit deum qui pater est. Nosse deum patrē quis potest sine
Ioan.15. fidē filij dei, qui est huius generationis autor? Quare in mundo sunt, sed nō sunt ex mundo. Soli filij dei, filios dei norunt, qui etsi sint in mundo, similes externo aspectu filijs mundi, non tamen sunt de mundo, sed interno decore similes sunt filio dei quàm diu passibilis uersatus est in mūdo, peregrini & peregrinationē eius imitantes, non secus per regenerationis fidem & gratiā filij dei, quàm ille in mundo filius dei erat per naturam. Et cum extra mundum fuerimus, illi assimilabimur in gloria, et illi cōformes erimus: tametsi quales futuri simus, hic nos lateat. Quod subdit Ioannes, dicens:

30 » Charissimi, nūc filij dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quo-
» niam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniā uidebimus eum sicuti est,] Hæc est uoluntas patris, ut peregrini filij eius imitentur filiū eius dum fuit peregrinus, dura patiant & aduersa, pij sint, mites, patientes, in omnibus deo obedientes usq; ad mortem, etiam si oportet, confusissimam, & iugiter crucem suam portantes, nihil à filijs mundi differentes nisi sola conuersatione & innocentia uitæ, & parem cum CHRISTO ad immortalitatis delicias sortiētur exitum, de carcere mundi ad regnum lucis tandem translati, Christiformes effecti, deum ex præsentia cognoscētes, & non amplius peruelamen, umbras & figuras, sicuti & nos à deo cogniti sumus. Filij autem mundi in tenebras mittētur exteriores, serui mortis perpetuæ, cæcitatis ignorantia damnati. Nos liberi in summa summæ felicitatis libertate: isti serui, in summa summæ miseriæ seruitute, serui cruciatibus & nunquàm finientibus pœnis. Ergo tanti honoris à tanta summæ maiestatis bonitate nobis collati, & in futurum uberius conferendi, & tantæ charitatis rationem habentes: uitā honori quo nos dignatur habeamus consonam (non enim taliter fecit omni nationi)
Psal.147. & charitati qua nos diligit coaptemus, conformemusq; nos per omnia, quantum non quidem ex nobis, sed ex gratia eius possumus, in eum spem nostram penitus cōsicientes, ut ipse suam in patrem: quia si hanc futuri status nostri, & gloriosæ cū CHRISTO conformitatis, nō ex nobis, sed ex charitate dei erga nos propter ipsum, spem habuerimus: sanctificabimus nos in hoc mundo sicut ille sanctus est. Quod hoc pacto subiungit Ioannes:

31 » Et omnis qui habet hāc spem in eo, sanctificat se sicut & ille sanctus est.] Quid est sanctificare se, nisi pura & sancta fidei opera facere, & per spiritum & gratiam eius purum se seruare, & nihil inquinamenti mundi & concupiscētiarum eius admittere? Sicut CHRISTVS exemplar nostrum, in hoc mundo uixit: sic & quoad nobis per gratiam licet, in imitatione eius in hoc mundo uiuendū est. Quare qui se purificat seruatq; purum, nullum peccatum admittit, ipsum spiritu CHRISTI seruante: quia omne peccatum iniquitas est, & diuinæ legis transgressio. Propter quod subdit Ioannes:

32 » Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas.] Facere iniquitatem, id est ἀνομίαν, est legem etiam gratiæ transgredi: id enim anomia designat. Lex autem, dei uoluntas. Et peccatū ἀνομία, id est legis transgressio est, quæ & dicitur iniquitas. Certum enim est quod qui nō transgreditur legem, qui non facit contra diuinam uoluntatem, quod non peccat. Et quomodo etiā imitaremur CHRISTVM, peccata faciendo; cum ipse uenerit ut peccata nostra tol-

leret

leret & destrueret peccatum, conceptus sine peccato, natus sine peccato, conuersatus sine peccato, moriens sine peccato, & morte sua destruens peccatum & peccata nostra cruci affigens, qui solus peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Quod & nobis hoc pacto insinuat Ioannes, dicens: Esa. 53.

35. Et scitis quia ille apparuit ut peccata tolleret, et peccatum in eo non est.] Nisi ipse destruxisset peccatum quod est semen diaboli à principio in Adam seminatũ & in prolem eius, pullulans usq; ad CHRISTVM ex pura & incontaminata uirgine æditum, nullus in deo maneret: ex pura inquã uirgine æditum, ad hoc ipsum à summo misericordiarũ patre electa ut susciperet semen uitæ, semini diaboli maxime contrarium, & quod contriuit caput illius, de quo, de quo dicitur ad serpentem: Inimicitias ponam inter te & mulierẽ, & semen tuum & semen illius: ipsum conteret caput tuũ, & tu insidiaberis calcaneo eius. Cum dicitur: Inimicitias ponam inter te & mulierem: innuitur quod ipsa non fuit filia peccati, nam filiæ peccati, serpenti, id est diabolo non sunt inimicæ, quin potius amicæ. Cum autem dicitur: Inter semen tuũ, & semen illius, indicatur CHRISTVS non nisi unius semen & ex sola natus muliere, sed uirgine, sed maxime serpẽti inimica. Et hoc est semẽ quod contriuit caput diaboli: quod nisi destruxisset peccatũ, & semen seminasset semini diaboli cõtrarium, nullus (ut dictũ est) in deo maneret, quia cũ peccato impossibile est in deo manere: perinde ac cum tenebris in luce: siquidẽ deus lux est, in quo tenebræ non sunt ullæ: peccatũ autẽ tenebræ. Quapropter subdit Ioannes: Gen. 3.

34 Omnis qui in eo manet non peccat.] At quomodo manens in luce, & maxima quidem luce tenebresceret, in summa uita moreretur, in summo gaudio tristaretur: tam sane manentem in deo, impossibile est peccare. At qui manent in luce etiam sensibili: nonne qui lucis illius sunt participes, qui lucem illam uidẽt & cognoscunt: Sic & in CHRISTO qui lux est manẽt, qui lucis eius sunt participes, qui ipsum uident & agnoscunt. Vident quidem & agnoscunt in hoc mundo, fide plena, fide firma & perfecta: & hi non peccant, quia perfectum lumen fidei tenebras peccati discutit, & nullum secum sinit surgere peccatum. Et ideo si quis peccat, perfectam fidem haud adeptus est. Proinde subdit Ioannes:

35. Et omnis qui peccat, non uidit eum, nec cognouit eum.] Si quis post fidem peccat, hæc fides non uiua, perfecta & integra, sed infirma, imperfecta & manca, quia non uidit neq; cognouit ut par est deum, ut neq; debili uisu ac infirmo solem ualemus intueri atq; lucem. Perfecta autẽ fides, charisma desursum est perfectũ, cor nostrum sursum rapiens & præcipitari deorsum non sinens, ad quod cor nostrum sese habet, ut ferrum ad magnetem. Fouea autẽ peccati, deorsum est. Qui igitur hoc modo deum uidet & agnoscit, tutus est à peccato: sed id non se, non uiribus suis, non opere suo: sed dei donum est. Et quid mirũ si deum hoc munere uidet: quia sursum fide illa rapitur ubi deus habitat: sursum tenetur, ne ad infima & caduca ruat. Fides autem quæ humana est & à nobis, id non habet, tantum differens à uera quæ pneumaticum charisma est, quantum mortuum à uiuente, & tenebræ à luce: neq; secum nisi humana trahit, siue spes sit siue dilectio. Sed fortasse nihil prohibeat humanam fidem diuinæ præcurrere: ut fidem ex auditu exteriori per uerbum dei, eam quæ est ex auditu interiori, interne nobis loquẽte deo, ut ait propheta: Audiam quid loquatur in me dominus. Quid si diuina in humana inseritur, ut solaris lux in luce oculi, & spes in spe, & charitas in humana dilectione, sintq; humana diuinorum præparationes, sed diuinis aduenientibus absorbeantur humana. Et utraq; tum humana tum diuina à deo sunt: sed diuina consummat, ut lux solis, uisionis lumen. Deme solare lumen, aut quod solaris est æmulum: lumẽ oculi ut tenebræ, ut mortuum & inefficax: sic humani cordis fides, si charisma tol- Psal. 84.

las, sic & spes & dilectio humana. De fide ergo diuina quæ desursum est, & consummat, intelligebat Ioannes cum dicebat: Omnis qui peccat, non uidit eum nec cognouit eum. Qui & admonet summopere cauere à seductoribus, subdens:

36 » Filioli, nemo uos seducat. Qui facit iustitiam iustus est, sicut & ille iustus est.] Seducunt qui ad alias obseruantias, aliaq; mandata trahunt, quàm quæ deus man
Rom.10. dauit: nam per solum uerbum dei generatur fides, dicente Paulo: Fides ex auditu, auditus autem per uerbum CHRISTI. Iustitia autem CRHISTI, iustitia fidei est, credendo uerbo dei, & eius ex fide per charitatẽ implendo mandata. Mandata autem illa dei sunt uoluntas, quam qui illo modo facit & implet, iustus est, sicut & CHRISTVS iustus: nam iustitia CHRISTI, per fidem eius sua est, & CHRI
1. Corinth.1. STVS sua iustitia. De qua dicitur ad Corinth. Qui factus est nobis sapientia & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Cæterum est iustitia per imitationem, de qua
Ephes.5. ad Ephesios: Estote ergo imitatores dei, sicut filij charissimi. Et hæc non est per æqualitatem. Vbique enim, quum nostra ad ea quæ Christi sunt, hoc modo conferuntur: particula sicut imitationem & similitudinem dicit, nõ ueritatis adæquationem: quia imitatio nunquam ueritatem attingit, ut suæ ueritati sit æqua: neque uestigium exemplar, neq; plasma suum plastem. Sed hæc imitatio placet deo, & accepta est in sua ueritate. Veritas enim saluat, non uestigium: sicut ueritas in archetypis est summa gloria summaq; uita. Et qui hanc ideam suam quæ est CHRISTVS, deus & dei filius, ab æterno iustus, fide imitando facit iustitiam, est ex deo, & imitatione in uero filio dei, dei filius. Sic qui facit iniustitiam quod est peccatũ, transgressio mandati, & uoluntati diuinæ cõtrariũ, est ex diabolo, qui iniustus est à mundi conditione, & imitatione filius diaboli est. Quod aperit Ioannes cũ ait:

37 » Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniã ab initio diabolus peccat.] Sicut hominum lumen è superno lumine est, sic hominum tenebræ ex tenebris potestatum tenebrarum. Supernum lumen nunq; obscuratur: sic externæ tenebræ quæ sunt potestatum tenebrarum nunquam illuminantur. Medium lumen quod hominum est, obtenebrescere potest, & mediæ tenebræ quæ sunt hominum, illuminari possunt: ut uicissim qui sunt ex deo, ratione superni infusi luminis, si errore decepti recedunt, sint ex principe tenebrarum: & qui ex principe tenebrarum, si resipiscunt, ex deo sint. Quo fit ut natura non faciat hos aut illos esse ex deo, aut ex principe tenebrarum, qui est aduersarius deo: sed gratia aut peccatũ, & huius aut illius imitatio, natura autem in medio est. Et cognoscitur quis imitatione dei esse ex deo, aut imitatione aduersarij esse ex maligno, qui quidem ex se & ex propria uoluntate à bono auersione, non ex imitatione malus est & iniustus, ut deus ex se, & non ex imitatione bonus & iustus. Et idcirco non absre qui ex se, absolute bonus & iustus est, uenit in mundũ, ut opera illius qui ex se quodammodo absolute malus est, ac iniustus destrueret, qui est diabolus. Absolute dico, quia non ex imitatione. Quod hoc pacto innuit Ioannes, dicens:

38 » In hoc apparuit filius dei, ut dissoluat opera diaboli.] Vt lumen tenebras, sic aduentus filij dei & illuminatio gratiæ eius ubicunq; recepta est, destruxit opera diaboli, quæ sunt opera carnis, peccati & iniustitiæ, & opera dei introduxit, quæ sunt opera spiritus fidei & iustitiæ. Et ut malum semen quod malignus, in prima generatione nostra seminauerat perderet: uoluit nos filius dei secundo nasci, & secundum hanc generationem uiuere, in qua nullum semen est maligni, sed qua & semen primæ & opera eius destruxit. Verum ut ille semen mortis seminauit, fallaci parentum persuasione: sic iste semen uitæ in secũda generatione ijs qui ueraci euãgelij uerbo suadent. Sic generatio generationi, semen semini, & uerbum uerbo opponitur, & opera operibus. Et ex ijs cognoscuntur qui ex deo nati sunt, &

qui

qui ex diabolo. Nam qui ex deo nati sunt, iuxta secundam generationem uiuunt, fructum, id est opera seminis eius quod est euangelium, uerbum dei, & ueritas, quam seminauit deus facientes. Filij autem diaboli, iuxta primam uiuunt generationem, fructum & opera seminis eius quod est serpentina uox & transgrediendi uoluntatē dei persuasio, uerbū nequā & mendaciū quod progenitoribus & eorū successoribus diabolus inseminauit, facientes. Quapropter subdit Ioannes:

39 Omnis qui natus est ex deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex deo natus est.] Qui natus est ex deo, secunda generatione natus est, & secunda generatione uiuit: alioqui aut abortiuus, aut spiritu mortuus. Abortiuus, ut qui infidelitate grauissima animæ peste plenus ad hanc generationem uenit, subdolus & fictus. Spiritu mortuus, ut qui post illuminationem spiritum extinxit & semen eius, prorsus relapsus ad primæ generationis opera & seminis eius. Et quomodo qui natus est ex deo, & hac natiuitate uiuit, peccaret? Tam certe est impossibile, quàm calidū frigefacere, quàm lumen tenebras inducere, & triticum ex se mortiferum granum afferre: quoniam is qui ex deo natus est, semen habet uerbi dei, semen euangelij, semen fidei, quo uiuit & quo operatur, & hoc semine uiuendo & operando, ut peccet impossibile est. Ergo natus ex deo, illa natiuitate nō peccat, sed nec peccare potest. Quam uitam si deserit, & recurrit ad primam, peccat: sed nō ut natus ex deo, nec semen natiuitatis huius sequens, sed semen diaboli, quod primæ generationi inseminatum est. Quàm diu enim in hoc mundo uiuimus, circumferimus ueterem hominem, qui nisi iugiter mortificetur, insidiatur nouo, sed non nisi suo ueneno & concupiscētijs eius quod est peccatum illi insitis, ut denti serpentis uenenū. Et qui uiuunt iuxta secundam generationem, & secundum semen eius fructificant, filij dei sunt, & secundum hanc uitam peccare non possunt. Qui autem uiuunt iuxta primā & secundum semen eius, filij diaboli sunt, & peccant, & peccare possunt, imò non nisi ex illo semine peccare possunt. Et in hoc manifesti sunt filij dei à filijs diaboli, quod subdit Ioannes, dicens:

40 In hoc manifesti sunt filij dei, & filij diaboli.] In hoc etiam, quia filij dei, secunda generatione qua ex deo nati sunt uiuunt, qua peccare non possunt: filij aūt diaboli, prima uiuunt, qua & peccant & peccare possunt. Filij dei sunt, non natura, sed gratia: sic filij diaboli non natura, sed peccato. Et utrique filij aut huius aut illius imitatione, & in utrisq; semen ad imitationē inseminatum, in illis semen bonum & à bono, in his semen malum & à malo. Illis fides ex uerbo dei: in istis peccatum ex uerbo diaboli. Vita, fidem sequitur: mors, peccatū. Et quàm angeli lucis ab angelis tenebrarum, tam filij dei à filijs diaboli uoluntate & uita differunt. Filiorum dei uoluntas & uita conformis diuinæ: filiorum uero diaboli mala, horrida, tenebrosa, informis. Illorum diuinis aspectibus & angelicis grata, & dæmonibus inuisa. At istorum contrà, diabolo grata, deo autem et angelis odiosa. Beati qui illam uitam eligent, & hanc fugient, qui contrà, miseri. Nam iuxta utramque uiuere impossibile est, sunt enim oppositæ. Ideo aut illam diuino fretus fauore elige, ut sis è filijs dei, & in regione lucis in æternū uiuas: aut hanc ex teipso, aut maligni suggestione, si uis esse è filijs diaboli, ut in carcere tenebrarum perpetuo intereas. At quis hoc fecerit, nisi cæcus & amens, & diuino fauore destitutus? Sequere ergo iustitiam, id est, imple omne quod ad te spectat mandatū, & dilige fratrem, ut iustus, & ex deo esse possis, dicente Ioanne:

41 Omnis qui non est iustus, non est ex deo, & qui non diligit fratrem suū. Quoniam hæc annunciatio quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. Non sicut Cain qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum?

Quoniam opera eius maligna erant, fratris autem eius iusta.] Qui non facit iustitiam, quomodo ex deo esset, cum non imitetur eum qui iustus est? Facere autē
Matth. 6. iustitiam, est esse iustum, & ex deo esse, & esse in eo. Quærite (inquit) primum regnum dei & iustitiam eius. Facit autem maxime iustitiā, qui deo credit & uerbo eius. Et dilectio fratris, magnū est indicium quod quis ex deo sit: dilectio dico nō secundum carnem, sed spiritum: ut primum, quia sit ad imaginem filij dei fide reformatus, & subinde (quod maximum est) quia in dei filio, filius dei est ascitus, & in CHRISTO membrum CHRISTI insertus. Quo amore nouum hominem,
Ioan. 13. non ueterē diligere possumus. Et hoc nobis dominus arcte mandat, dicens: Mandatum nouum do uobis, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos. Nouum erat, quia spiritualis dilectionis & noui ex secunda natiuitate hominis, qui ante Christum non fuerat. Vetus autem dilectionem nouerat affectionis. Illa, supra nos: hæc, secundum nos: hæc initium: illa, consummatio. Qui imaginem diligit propter ueritatem, & qui filium propter patrem, magis ueritatem ipsam diligit & patrem. Et qui multum illam & illum diligit, multo magis hanc & hunc. Siquidem spiritualibus amandi ratio, ueritas, & regenerationis pater. Et ideo qui ad ueritatem ipsam & ipsum summum patrem perfectam dilectionem habet: est consummate iustus. Et tu quomodo odire posses simulacrum eius quem summè diligis, & tibi amantissimi odire illi similem filium? Maxime igitur in dilectione fratris, in dilectione proximi aut odio cognoscitur quis aut ex deo est, aut ex diabolo: nā quisq; ex ea parte est quem imitatur. En ueritas ex una parte, & mendaciū ex altera. Omnes qui uera loquuntur, & uera faciūt opera, ex ueritate sunt, & ex parte eius. Veritas deus est: mendacium malignus. Hinc Cain ex maligno cognitus est, & Abel ex deo: quia Cain propter odium occidit Abel fratrem suum. Abel autem ipsum non oderat. Et quare Cain fratrem oderat? Quia sua opera mala & iniusta erant, ut quæ ex semine maligni erant: & ideo ipse ex maligno, fratris autem eius bona & iusta, & ideo ipse erat ex deo. Et qualia opera, talis amor. Si contraria opera: contrarius amor, & cōtraria odia. Sed eorum qui ex maligno ut amor malus est, etiam odium malum. Porrò eorum qui ex deo sunt, & amor bonus, & odium bonum. Hi siquidem iniustitiam odiunt, id est infidelitatem & opera mala: sed naturam, id est substantiam operantium diligunt, eamq; saluam cupiunt, & illi inesse omne bonum. Illi uero infidelitatem & mala opera diligunt, & odiunt fidem, bona opera pariter & substantiā bona operantium. Quapropter illā auferre & perdere nituntur, ut Cain fratrē, inimici naturæ & totius bonitatis. Quid mirum igit si filij dei odio habentur à mundo, id est, à filijs eius qui sunt ex maligno, ut Abel odio habitus à Cain? In Abel omnes iusti figurati: in Cain omnes mūdani, & qui futuri erant filij diaboli. Ideo subdit Ioannes:

42 » Nolite mirari fratres, si odit uos mundus.] Quamuis mundus odiat eos qui ex deo sunt, non solum opera sed & substantiam: hi tamen qui ex deo sunt, nō sic odiunt mundū, & eos qui in mundo sunt. Quia solū infidelitatē id est, iniustitiā, et iniusta opera oderunt, ipsum aūt mundū, & eos qui in eo sunt diligunt, & naturā substantiamq; saluam desiderāt, & libenter impenderēt animas, id est uitā, ut eos saluos facerent qui se perdere uolunt. Ideo mundus amare nescit neque odire: sed utrumq; horum malum & inordinatum est. Qui autem ex deo sunt, utrumq; norunt, & hi nullum bonum odiunt, sed solum peccatum: nam reuera solum peccatum malum est & odiendum. Ille contrà non odit peccatum, sed bonum & bonorum substantias: deterior tamen uideri possit odiendo quàm amando. Nam cum sit osor eorum qui ex deo sunt, & fidem, id est iustitiam, & opera odit, & eos qui opera ipsa habent, utrobiq; malus est, iustitiā & opera bona odiendo, & substantias

tias amat, non eo uidetur malus quod substantias amat, etsi malus & infectus sit is amor, quia ab infecta radice, sed maxime quod iniustitiam & opera mala amat. Cum igitur mundus suos amet, quanto magis qui ex deo sunt, se mutuo amore complecti debent: cum illius amor sit in morte, horum uero in uita: imò ut corporis uita, temperamenti calor est, aut non sine calore, sic animæ uita, boni amor est, aut non sine amore. Vt non absre dicat Ioannes:

43 Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad uitam, quoniam diligimus fratres.] Quàm diu sumus ex mundo, fratres diligere nescimus, neq; ex integro possumus, nisi male in peccato: quia qui peccatũ etiam in fratribus diligit, in morte est. Et mundi dilectio, & si non odium, non tam dilectio quàm nõ dilectio est: cum plus odibile peccatum quàm diligibilis substãtia. Quare si ad hoc ipsum deducti, ut non ex hac non dilectione, sed supra mundum dilectione nos inuicẽ integre diligere possimus, & diligamus: manifeste cognoscimus quod de morte filiorum mundi, translati sumus ad uitam filiorum dei: quia hi soli se inuicem sic diligere possunt. Horum solũ est amor syncerus, amor regionis lucis, amor supramundanus: & horum, solum odium tenebrarũ. Quo fit ut qui odit fratrem, si etiã ex ijs fuerit qui ex deo sunt, relapsus est in mortẽ, & de cœlo ruit in terram, de luce in tenebras. Quod tangit Ioannes, dicens:

44 Qui non diligit manet in morte.] Vt illi qui ex non dilectione, in perfectam transeunt fratrum dilectionem, de morte transferuntur in uitam: sic ex opposito qui ex fratrum dilectione transeunt in nõ dilectionẽ, de uita transferuntur in mortem, estq; hic casus similis casui sathanæ, & multo magis si nõ solum in non dilectione casus sit, sed etiam adsit odium fratris: quia tunc non solũ qui eiusmodi est, transgressus est præceptũ de dilectione proximi unde in morte [illegible] sed transgressus est alterum quo cauetur, Non occides, ex quo iterum in morte est. Quod aperit Ioannes, dicens:

54 Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: Et scitis quoniam omnis homicida non habet uitam æternam in se manentem.] Bis huiusmodi homo mortuus est, & quia non diligit, & quia homicida est: nam id permanifestum est, nullũ homicidam spiritu uiuere, sed mortuum esse. Sicut qui uidet mulierem ad concupiscendum eam, adulter est, & corde mœchatur: sic qui odit fratrem suum, homicida est, & corde occidit. Etsi homines illius adulterium, & huius homicidium non uident, deum tamen non ea latent, qui maxime intuetur cor, & omnes omniũ hominum uoluntates. Homines autem sola externa iudicãt. Et ideo deo ille adulter est, & hic homicida: etsi neuter hominibus & mundo, qui solum externa uident, talis reputaretur, nisi forte hominibus spiritualibus qui sensum dei habent, ut senes Susannæ accusatores, Danieli. Et quid odium, nisi appetitus ut nõ sit id quod Dan. 13.
oditur? Si odis peccatum, non uis esse peccatum: si quenquam odis, nõ uis ipsum esse, aut malles non esse quàm esse, & hoc est homicidium, & uoluntate homicidã esse. Et qui posuit præceptum de dilectione & homicidio, non modo secundum literam, sed secundum literam & spiritum uoluit esse intelligendum. Litera externum homicidium prohibet: spiritus etiam internum: præceptum uero utrunque. Et ita de dilectione. Et ut amor & dilectio respicit esse: ita odium non esse. Vnde fit, ut si deus aliud in diabolo quàm peccatum odiret, & in coinquinatorũ animis aliud quàm peccatum: neq; dæmones subsisterent, neq; inquinatorum animæ: sed ideo sunt & permanent utraq;, quia deus non odit, sed eorum quarum opifex & creator est, amat substantias. Et dilectio quam fratres, id est fideles, & qui ex deo sunt, inter se habere debẽt: illa debet esse, CHRISTI diuinæq; charitatis æmula: cuius respectu omnia terrena, & uita etiam propria nihili ducatur. Quod subdit Ioannes, dicens:

46 » In hoc cognouimus claritatem dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis po-
» ſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.] Si tantam charitatem erga fratres habere debemus, & hæc ſolum eſt, tametſi ex ſpiritu CHRISTI pro captu noſtro, charitatis CHRISTI ad nos qui deus eſt ueſtigium, quanta eſt etiã nobis incomprehenſibilis illa CHRISTI ad nos charitas? Etſi noſtram erga fratres tantam eſſe oportet, ut nulla in nobis inuicem dẽclarari poſſit maior quàm imitatione charitatis CHRISTI erga nos, ponere uitas noſtras pro fratribus: quantam eſſe oportet erga deum charitatis fontẽ, autorem & infuſorem, qui & eſt ipſa abſoluta charitas? Hanc non homo, ſed ſpiritus fidei facit in uere fidelibus. Et qui uere fuerunt in hac charitate imitatores CHRISTI, non ſolum animas poſuerunt ad continendos & conſeruandos eos qui tum erant fratres, ſed et pro ijs quos conſortio fratrũ adiungere cupiebant, & ſi tunc eſſent inimici. Vt CHRISTVS non ſolum pro iuſtis poſuit animam, ſed & pro gentibus & iniuſtis, & qui tunc erant inimici, ut iuſtorum aſſociarentur choro & efficerentur, non ex ſe, ſed ex dei bonitate conſortes regni: ſic erga eos morte propria charitatem ſuam teſtatus: neq; ſolaris lux in momento terrarum orbem implens tam late ſe fundit quàm dei charitas, quæ nec locis intercipitur, nec temporibus finitur. Ne putemus ergo perfectam charitatem eſſe fraternã, ſi ad exteros non ſe diffundit, & etiam ad inimicos. Et charitas non noſtra eſt, ſed dei munus diuinum q; donum. Et cum uitam hanc tranſitoriam nihili æſtiment ueri fideles in comparatione huius uiuæ & immortalis amicitiæ: tanto minoris æſtimabunt ſubſtantiam quamcumq; aliam, ut facultates & diuitias, & quæcunq; fortunæ ſubiacent ludibrio. Quod ſi quis charitati & 50
fraternæ amicitiæ quicquam horum præferret: charitas dei, de qua paulo ante locuti ſumus, non eſt in eo. Proinde ſubdit Ioannes:

47 » Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & uiderit fratrem ſuum neceſſe ha-
» bere, & clauſerit uiſcera ſua ab eo, quomodo charitas dei manet in eo?] Qui uiderit fratrem ſuum in neceſſitate conſtitutum, ut eſurientem aut ſitientem, cui facultatibus ſuis ſubuenire poteſt, & non ſubuenit, ſubuentionis gratiam ei denegans, charitate dei uacuus eſt: quam ſi habuiſſet, non modo facultatibus, ſed & uitæ, ſi oportuiſſet, non pepercíſſet, ut indigenti ſubueniſſet, inopiæ eius miſertus. Sed ſi qua in eo fuit dilectio, ſi qua amicitia, humana fuit non dei, externa non intima & ex corde, inefficax & ſine opere, ficta & ſine ueritate. Pulſemus ergo deũ precibus, ut eam quæ in corde eſt, non lingua obtineamus: quæ efficax eſt in opere, non in uerbo, quæ uera eſt non ficta, quia illa eſt ex deo charitas, & eorum qui ex deo ſunt: iſta eorum qui ex mundo ſunt, qui ex deo non ſunt. Ad quam aſpirandum, nos hoc modo hortatur Ioannes, dicens: 51

48 » Filioli mei non diligamus uerbo, neq; lingua, ſed opere & ueritate. In hoc co-
» gnoſcimus quoniã ex ueritate ſumus, & in conſpectu eius ſuadebimus corda noſtra.] Si intima, ſpirituali, fœcunda, & uera dilectione amauerimus, magnũ nobis indicium eſt nos ex ueritate, id eſt, ex deo eſſe, & ante ipſum, in cuius cõſpectu ſunt ij qui ex eo & in eo ſunt, confidentia erunt corda noſtra. Sed & contrà, ſi dilexerimus externa, carnali & ficta dilectione, id præſtare nõ poterimus, ſed cor noſtrum nos reprehendet. Et eſto cor noſtrum, id eſt conſcientia nõ reprehendat & condemnet: quomodo reprehenſionem & iudicium dei effugiemus, quem nihil latere poteſt? Id ſanè impoſſibile. Quod ſubdit Ioannes:

49 » Quoniam ſi reprehenderit nos cor noſtrũ, maior eſt deus corde noſtro, & no-
» uit omnia.] Nouit deus omnia, etiam abſcondita tenebrarum: neq; filij mundi aut diaboli in quoquam latere poſſunt, ut neq; Cain potuit: neq; ullus, neq; ille effugiet iudicium. Illum accuſabat cordis reprehenſio: ſic & omnem peccatorẽ qui

reſurgere

resurgere potest ad uitã. Vix enim resurgere posse crediderim, quem in malo nulla sequitur cordis reprehensio. Huiusmodi uiui sepulti sunt, qui uisum non habẽt quo uideant, neq; auditum quo exaudiant spiritum sanctum, in hoc in eum peccantes, quod consummata auersione & malitia omnem ei occluserunt aditum. Sed qui tenebras euaserunt, in luce spiritus constituti: de operibus charitatis qua in illa uita uiuunt, cor illos non reprehendit, pacem & secum & cum deo habentes, quoniam mandata dei custodiunt, uoluntatem eius facientes. Et illi, mali scilicet & transgressores diuinorũ præceptorũ, diffidunt se à deo obtinere quod petunt, quod mandata eius non custodiunt. Hi contrà, magnam fiduciam habẽt obtinendi à deo quicquid petierint. Et quid ni? Qui transgrediuntur præcepta terrenorum regum, nónne (sciente id rege) diffidunt ab eo obtinere si quicquam petierint: Et qui iussa regis capessunt, planè id sciente rege, nónne confidunt petitiones suas à rege exaudiri? Sed etiam spirituales quid à summo rege petunt, nisi spiritualia quæ perfectiorem uitam suam reddunt ad cognitionem, charitatẽ, & gloriam superni regis, quæ rex ipse libenter impartitur? At terreni terrena petũt, quæ hominis naturam pro dignitate non perficiunt. Quid mirum si illa deus petentibus nõ impartitur, sed magnificus magnifica, & cuiq; naturæ decẽtia: qualia dat uere petentibus, quos cor mundum, purificatum & obediens non reprehendit, sed quibus uera filij dei æmulatio & diuinorum præceptorum adimpletio plenam præstat fiduciam? Et ut sua ipsorum uita à deo pendet, non à se: ita ipsorum fiducia non à se, sed à dei dependet bonitate. Qua in re subdit Ioannes:

50 » Charissimi si cor nostrum nõ reprehenderit nos, fiduciam habemus ad deum:
» & quicquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, &
» ea quæ sunt placita coram eo facimus.] Si implemus mandata, si placita dei facimus, nõ id nobis tribuamus, sed diuinæ bonitati quæ nos traxit de morte ad uitã, & quæ in uita per spiritum suum nos illuminat lucerna ueritatis, & uires infirmitati nostræ suggerit, facitq; nos supra nos fortes, ut ipsum supra nos & omnia diligamus, & fratres & inimicos supra nos, & eius mandata & beneplacita supra nos impleamus. Ergo & hinc pendere debet nostra ad ipsum fiducia, ut supra nos sit, & ideo magna & exauditione digna: & ut angelorum oculi nunquam à deo deflectuntur quicquid agant (Angeli, inquit, eorũ semper uident faciem patris mei qui in cœlis est) ita decet iustorum in CHRISTO, oculos quicquid agant nunquã à deo deflecti. Ideo credimus in filium dei, ut oculus noster iugiter sit in deo. Nã mandatum de fide, est mandatum de uisione. Neq; aliter deum in hoc mundo uidere possumus. Cuius rei nos hic admonet Ioannes, dicens: *Matth.18.*

51 » Et hoc est mandatum eius, ut credamus in nomine filij eius IESV CHRISTI,
» & diligamus alterutrum sicut dedit mandatum nobis.] Mandauit nobis pater æternus, ut in filiũ credamus, cum magnifica uoce è cœlo delapsa testificatus est: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Cui testificationi adiecit præceptum, dicens: Ipsum audite. Quod ad credendum in eum, & in nomine eius spectat. Sed & mãdata filij, mandata sunt patris. Doctrina (inquit) mea, non est mea, sed eius qui misit me patris. Mandat autem credi in eum. Ait enim: Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filij lucis sitis. Et alibi: Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Et postea: Qui aũt non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine unigeniti filij dei. Ergo sine fide in nomine unigeniti filij dei, nemo euadit iudicium. Sed in hac fide latitudo est. Quædã enim est rudium, quædam promouentium, quædam in Christo perfectorum, & maxime spiritualium: & hi omnes regno uitæ, dei miseratione *Matth.17.* *Ioan.7.* *Ioan.12.* *Ioan.3.*

non excludunt. Primi, ſimpliciter ut audiunt credunt: iuxta audita in ſimplicitate uiuentes, ſperantes & amantes, ſpiritum fidei ad hæc præcipue duntaxat habentes. Secundi, ſpiritum ad hæc ipſa habent, ſed ad fidei, uerbi dei, & euangelij intelligentias paulo altius gratijs euehuntur. Tertij, omnino longe ſupra ſe euecti & naturæ uires credunt, ſperant, amant, & ſacris à ſpiritu imbuuntur intelligentijs, ſpiritui perfecte uiuentes, & carni mortui, ijs quæ naturæ ſunt ab ijs quæ ſunt ſupra naturam abſorptis, ut à ſolari luce abſorberi ſolet naturale oculi lumen. Primi uiuunt ut infantes: ſecundi ut adoleſcentes: tertij ut uiri in CHRISTO adulti. Primi uiuunt ut in nocte, nō tamen ſine luce ſtellarum quæ eos cum ſonitu uerbi dei illuminant: ſecundi ut in aurora: tertij ut in meridie fidei. Et hi in primis, ſecundis, & in ſe cognoſcunt diuinam gratiā, in ſe tamen maxime. Et ut hi maxime cognoſcunt, ſe uere ex ſe nihil eſſe cognoſcunt, ſed quicquid ſunt, ſe omne id eſſe in CHRISTO, & perfecte credūt in nomine filij dei. Mortui erant, quod uiuūt, in filio dei uiuunt. Cæci erant, uident in fide. Peccatores erant, nunc iuſti in fide filij dei, & hæc iuſtificatio in CHRISTO eis data eſt. Pauperes erant, nunc in eo diuites facti ſunt. Et hoc ipſi uident & firmiſſime credunt, quod nihil prorſus habēt ſeu temporale ſeu ſpirituale uere bonum & diuinum bonum, niſi in CHRISTO: imò CHRISTVS hæc illis omnia, uita, ſapientia, quæ eſt fidei uiſio, iuſtitia, & ſempiternæ omnem cogitatum ſuperantes diuitiæ. Nam pater omnia dedit filio, qui pro hominibus homo eſt, in quo ſibi ſumme per omnia complacēt. Et quicquid gratiarum hominibus dat, in ipſo dat, quia homo propter homines fieri dignatus eſt. Qui ergo omnia ſiue gratias, ſiue opera refert accepta CHRISTO, ut quæ in ipſo, per ipſum, & propter ipſum habeat, & cum ipſis ipſum & ſpiritum ſuum, & nihil ſibi ex ſe, propter ſe, aut ſua opera, perfectam fidem habet, & perfecte credit in nomine filij dei, in CHRISTO uir perfectus. Quod nondum habent neque capiunt primi & ſecundi: quia ab hoc, ut æs & argentum ab auro differunt. Hic ſcripturas intelligit ſupra hominem, & ſecundum ſpiritū. Primi non intelligunt, credunt ſimpliciter. Secundi aliquantulum intelligunt: at non multum ſupra hominem. Hic & qui tales ſunt, perfecte ſe inuicem diligunt: & hoc in CHRISTO
Rom. 8. qui aſſumpta carne frater noſter eſt, & primogenitus, ſummusq; frater in multis fratribus, ſpiritualis fratrum dilectionis ratio, & ſuper omnes fratres hac etiam dilectione diligendus: quia ad ipſum ſolum proximi dilectio quæ eſt fraterna, & dei dilectio, quæ eſt ſumma charitas, in eandem coincidūt, ut ſit erga ipſum proximi dilectio ſumma charitas, quippe qui homo deus eſt: quæ erga nullum alium eſſe debet aut poteſt. Et quod credentes in eum, quos & ipſe uocat fratres, ſe inuicem
Ioan. 15. diligant, ipſe dedit mandatum, dicens: Hoc eſt mandatum meum, ut diligatis inLucæ 8. uicem, ſicut & ego dilexi uos. Sed qui ſunt fratres eius? Fratres mei, inquit, ij ſunt qui uerbū dei audiunt, & faciunt. Idcirco ut poſſimus eſſe fratres eius, & diligere inuicem, etſi fratres eius ſimus qui filius dei eſt, proculdubio ſumus filij dei, admonet nos Ioannes mandatorum ipſius ſeruandorum, dicens:

52. Et qui ſeruat mandata eius, in illo manet, & ipſe in eo.] Mandata mundi, ſunt mandata legis carnis, quæ qui ſeruat & facit, manet in mundo, & mundus, id eſt, concupiſcentiæ mundi in eo. Sic qui ſeruat mandata dei quæ ipſe mandat, quæ ſunt mādata legis ſpiritus & charitatis, in deo manet, & deus in eo. Et qui ſunt in hac lege perfecti, manifeſte id agnoſcunt, deum ſcilicet in ſe manere: quia donum eius ſpiritum ſanctum, manifeſte ſentiunt. Quod inſinuat Ioannes dicens:

53. Et in hoc ſcimus quoniā manet in nobis, ex ſpiritu quem dedit nobis.] Quando ſpiritus dei datur nobis, id certum argumentum eſt deum manere in nobis. Sic et ſi ſpiritus mundi in nobis ſit, et mundus. Spiritus dei, ſpiritus puræ charitatis & amoris.

amoris. Spiritus mundi, spiritus impuri amoris aut odij. Spiritus dei, spiritus ueritatis, Spiritus mundi, spiritus erroris. Hic immundus, ille sanctus, & etiã super omnem sanctitatem sanctus. Hic tenebrarum, ille lucis. Hic mortis, ille uitæ. Hic immissio diaboli, ille donum dei altissimi. Quem nobis pater æternus in filio suo omnium autore benedictionum, in quo et dat omnia hominibus, largiri nobis dignetur, ut in fide perfecte illuminati, spe certi, et charitate inflammati, ipsum cum filio & spiritu suo, deum unum laudare & glorificare possimus per dominum nostrum, & cum ipso, & in ipso. Cui est omnis potestas in omnia secula. Amen.

CAPVT QVARTVM. ANNOT.

54 [Harissimi,] nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex deo sint: quoniã multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. ἀγαπητοί. & infra.

55 In hoc [cognoscitur spiritus] dei. Omnis spiritus qui confitetur IESVM CHRISTVM in carne uenisse, ex deo est. Et omnis spiritus qui [soluit] IESVM, ex deo non est, & [hic est antichristus] de quo audistis quoniã [uenit,] & nunc iam in mundo est. cognoscite spiritum, γινώσκετε τὸ πνεῦμα. non confitetur, μὴ ὁμολογεῖ. Christum in carne uenisse, χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, hic est qui est antichristi, τοῦτο ἐστὶ τὸ τοῦ ἀντιχρίστου. hic & qui retferunt spiritũ. uenit, ἔρχεται, anceps. eos, αὐτούς, ἐ, ex, ἐκ,

56 Vos ex deo estis filioli, & uicistis [eum:] quoniã maior est qui in uobis est, quàm qui in mundo. Ipsi [de] mundo sunt, ideo de mundo loquũtur, & mundus eos audit. Nos ex deo sumus. Qui nouit deum, audit nos: qui nõ

57 est ex deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritũ ueritatis & spiritum erroris. Charissimi, diligamus nos inuicẽ,

58 quia charitas ex deo est. Et omnis qui diligit, ex deo natus est, & cognoscit deum. Qui non diligit non nouit deũ: quo-

59 niam deus charitas est. In hoc apparuit charitas dei in nobis, quoniam filium suum unigenitũ misit deus in mundũ,

60 ut uiuamus per eum. In hoc est charitas, non [quasi] nos dilexerimus deum, sed quoniam ipse ➤ prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. quod, ὅτι.

61 Charissimi, sit deus dilexit nos, & nos debemus alterutrũ † sic, οὕτως.

62 diligere. Deum nemo uidit unquam. Si diligamus inuicem, deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta

63 est. In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de spiritu ➤ sancto suo dedit nobis.

64 Et nos uidimus & testificamur quoniam pater misit filiũ

65 suum saluatorem mundi. Quisquis confessus fuerit quoniam IESVS est filius dei, deus in eo manet, & ipse in deo. Et nos cognouimus, & [credimus charitati] quã habet de- credidimus charitatem, πεπιστεύκαμεν τὴν

66 us in nobis. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in

67 deo manet, & deus in eo. In hoc perfecta est charitas dei ἀγάπην.

nobiſcum,ut fiduciam habeamus in die iudicij: quia ſicut
68 ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo? Timor non eſt in
charitate:ſed perfecta charitas,foras mittit timorem, quo
69 niam timor pœnam habet. Qui aũt timet non eſt per-
70 fectus in charitate. [Nos ergo diligamus deum:quoniã
71 deus] prior dilexit nos. Si quis dixerit:Quoniam diligo
deum,& fratrem ſuuum oderit,mendax eſt. Qui eñ non
diligit fratrem ſuum quem [uidet,] deum quẽ nõ [uidet,]
72 quomodo poteſt diligere? Et hoc mandatũ habemus
[à deo,] ut qui diligit deum,diligat & fratrem ſuum.

ANNOT.

Nos dileximus eũ, quoniã ipſe, ἡμεῖς ἀγαπῶμεν, ὅτι αὐτὸς.

uidit, ἑώρακε & infra.

ab eo, ἀπ' αὐτοῦ.

COMMENT. IN CAP. QVARTVM.

PAVLO ante dixit nos ſcire, id eſt certo cognoſcere, deum in nobis manere in hoc, ſcilicet è ſpiritu dei qui datur nobis: ſed ut deus dat ſpiritum bonũ, qui eſt ſpiritus pulchræ dilectionis et ueritatis ſuæ: ſic princeps mundi huius dat ſpiritum malum, qui eſt ſpiritus illecebrarum & erroris. Ideo admonitione nos præmunit Ioannes, ut non omni ſpiritui credamus, dicens:

54 » Chariſſimi,nolite omni ſpiritui credere:ſed probate ſpiritus ſi ex deo ſint, quo-
» niam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum.] Vt in tenebris nihil diſcernimus,ſed turpẽ & pulchrum,magnum & paruum, ſecurum & horrendum confuſa ſunt:ſic filij tenebrarum ſpiritus probare non poſſunt. At filij lucis quia in luce ſunt fidei, in luce uerbi dei, quæ quænam eſt niſi lux euangelij? & lux omnia detegit & manifeſtat:probare poſſunt ſpiritus an à deo ſunt,an à maligno, qui ἀντίθεος & dei aduerſarius & uerbi eius eſt. Ideo qui ex infidelitate, aut ex pauca luce ſuæ fidei & cognitionis, nõ ſufficiũt per ſeſe probare ſpiritus an ex deo ſint:à filijs lucis hoc agnoſcere debent. Hi ſunt qui fide & dei ſapientia doctrinaq; euangelij illuminati ſunt, quos uiua ſpes & in deum fiducia, facit ſui ipſorum & omnium caducorum fiduciam floccipendentes; quos etiam & charitas in dei et proximorum dilectione, in omni opere facit feruentes. Et gratia cuius neceſſe eſt ſpiritus probare an ex deo ſint? Quia multi multas & uarias doctrinas mundo inducunt, quæ non ſunt uerbum dei, doctrina CHRISTI & euangelij, ſed aut doctrinæ hominũ, quæ à ſpiritu humano ſunt: & hæ uanæ ſunt, ut ſpiritus hominis (maxime ſi ad ſpiritum dei, qui eſt ſpiritus ſcripturarum, conferas) uanus eſt, aut à ſpiritu maligno: & hæ doctrinæ erroris ſunt, & hæreſes, & qui eas ſeminãt, & qui male ſcripturas dei interpretantur & peruertunt, pſeudoprophetæ appellantur. Doctrinæ ſcripturarum, quia à ſpiritu dei ſunt: ſolidæ ſunt, uiuificæ, & doctrinæ ueritatis. Doctrinæ pſeudoprophetarum, id eſt hæreticorũ, infirmæ, mortiferæ, doctrinæ erroris & mendacij. Illæ diuinarum inquam ſcripturarum optimæ, & omnibus uiribus ſequendæ. Hæ peſſimæ, & omnibus pro uirili fugiendæ. Humanæ doctrinæ de literaria inſtitutione, mediæ ſunt, neq; omnino malæ, neque omnino bonæ: quia ut neq; mortem afferunt, ita neq; uitam præſtãt, neq; perfecte illuminare poſſunt ad
Deut.8. uitã, neq; purgare à morte: quia anima uiuit ex omni uerbo, id eſt mandato, quod procedit de ore dei, non ex eo quod procedit ex mente aut ore uiri. Electorũ mentibus ſuas inſpirat ſpiritus dei, & perditorum animis ſuas dæmon. Homo autem ſuæ aut rationi aut prudentiæ innitens: ſuas inuenit ex luce, quam deus illis ſecundum naturam infundit, Lux uera, & regula omnium doctrinarum, ſacra ſcriptura eſt: ad

est: ad quam cæteræ collatæ, si sint aduersæ, diabolicæ sunt & fugiendæ: si non aduersæ, sed non ex ea sunt, neq; ad lucem eius seruientes faciunt: uanæ sunt, aut parum curandæ. Qui in illa luce ambulat, in die ambulat, et securissime ambulat. Et quia humanæ nõ sunt à deo pernicioſæ ut sunt eæ quæ sunt pseudoprophetarum: maxime deterret nos Ioannes ab his, ne eis ullo modo credamus. Et dat ueluti exemplo cognoscere quæ doctrinæ spiritus dei, cui credendum est, & quæ spiritus erroris cui credere nunquam oportet, subdens:

55 In hoc cognoscitur spiritus dei. Omnis spiritus qui confitet IESVM CHRISTVM in carne uenisse, ex deo est. Et omnis spiritus qui soluit IESVM, ex deo non est, & hic est antichristus de quo audistis quoniam uenit, & nunc iam in mundo est.] Omnis spiritus qui docet quod IESVS est uere incarnatus, hic ex deo est. Et omnis, ὁ μὴ ὁμολογεῖ, qui non confitetur, siue ut interpres habet: qui soluit IESVM, id est, separat à IESV aut diuinitatem Messiæ, dicens IESVM non esse CHRISTVM, aut hominis ueritatem, dicens non uenisse in carne, non est ex deo, sed est spiritus erroris, & antichristi spiritus. Et qui ita docet, antichristus est, de quo supra numero 2. dictum est, quod antichristus uenit, & iam in mundo est. Ex hoc exemplo reliqua intelligere possumus, quæ sunt ex spiritu dei: ut IESVM esse filium dei unicum, & uere deum. IESVM natum ex uirgine, & uere hominẽ factum. IESVM passum, crucifixum, mortuum pro mundi uita. Et IESVM resurrexisse ad omnium electorum gloriam, & uniuersa quæ sacra continet scriptura. Et opposita, ex uenenoso afflatu sunt maligni, ut IESVM non filium dei, nõ deũ esse, sed hominẽ purum. Iesum ex Ioseph & Maria, ut qui tunc erat antichristus Ebion, non uere carnem sumpsisse, non uere passum, crucifixum, mortuũ ut diaboli filius. Alius tunc antichristorũ dicebat Martion, quod ñ qui ex deo sunt uel audire horrent maxime, & facile uincunt huiusmodi erroribus abductum, quia spiritum dei habent, qui eo spiritu fortior est, qui in illo et in pseudoprophetis est, ut lumen est fortius tenebris. Quod Ioannes subdit dicens:

56 Vos ex deo estis filioli, & uicistis eos: quoniã maior est qui in uobis est, quàm qui in mundo. Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Nos ex deo sumus. Qui nouit deum, audit nos: qui non est ex deo, non audit nos.] Quicunq; uincit, non ex se uincit, sed quia ex deo est: hoc autem est dei donum & electio. Et qui uincunt mundum, uincunt eos qui ex mundo sunt. Illi autẽ quos obtinet spiritus erroris ex mundo sunt, & ideo solum audit eos mundus, loquentes ea quæ mundi sunt & spiritus eius, & minime audiuntur ab ijs qui non sunt ex mundo, sed ex deo: uerum illos auersantur, ea quæ dei sunt docentes, & illos & dogmata eorum aspernantes, execrantes, deuouentes cum diabolo qui se ducit & eos & mundum per eos. Et hoc est eos uincere, & spiritũ erroris in ipsis. Qui autem non sunt ex mundo, ex deo sunt, & audiuntur ab ijs qui dei notitiam euangeliumq; admiserunt, habentes CRHISTI IESV (per quem illuminantur omnia) fidem, & nõ audiunt ab ijs qui sunt ex deo: quia ex mundo non sunt, neq; fide per receptum euangelium illuminati deum nouerunt. Et uera charitas discernitur inter spiritum ueritatis & spiritum erroris: quia ex spiritu ueritatis est uera charitas, quæ uerè feruet & cor incendit ad dei amorem & ad amorem etiam omniũ creaturarum propter deum: ex spiritu erroris nunquam, sed aut amoris prolapsio, extinctio dilectionis eorum quæ amari debent, aut potius odium. Quod innuit Ioannes, dicens:

57 In hoc cognoscimus spiritum ueritatis & spiritum erroris. Charissimi, diligamus nos inuicem, quia charitas ex deo est.] Quomodo ex spiritu erroris esset uera dilectio: qui & deum odit & omne quod deus amat? Deus autem ueritas, &

omnia eius opera uera. Verum ille est spiritus mendacij & odij, & seminator discordiarum inter fratres. Et ex odio & discordia cognoscitur, sicut deus deiq; spiritus ex dilectione & mutua concordia. Merito igit̃ qui dei gratia & benignitate fideles sumus, nos inuicẽ diligere debemus, cum charitas ex deo sit, & nullo modo ex maligno esse possit. Qui si alioqui aliquẽ, sed ementitum suscitat amorem, is à charitate remotissimus est, sed est insanus amor, qui non est amor, sed amoris pestifera labes, odio deterior, & furor concupiscentiæ, qualis est adulteri aut adulteræ, si non etiam multo deterior. Et hic maxime insanus & impurus amor, facit filios diaboli: ut charitas, sanctus, purus & incontaminatus amor, & syncera dilectio, uere filios dei. Non absre ergo subdit Ioannes:

58 » Et omnis qui diligit, ex deo natus est, & cognoscit deum. Qui non diligit, non
» nouit deum: quoniã deus charitas est.] Charitas ex prima natiuitate non est, sed ex secunda. Ideo qui eam habet, ex deo natus est, & cognoscit deum: quoniã sine fide ad filiorum dei non acceditur generationem. Qui hac autem charitate non diligit quæ est dilectio spiritus, deum non cognoscit, quia lumine fidei quæ sine charitatis igne non lucet, caret, quo solo in hoc mundo uidetur deus. Et quia ut lumẽ ab oculo non luminoso uideri nõ potest: sic neq; ipsa perfecta charitas & summa dilectio quæ deus est, à nõ diligente cognosci potest. Dilectio, lucida flamma: nõ dilectio, obscuritas. Odium, horrendæ tenebræ à maligno ei oculo quo uideri debet deus infusæ. Et deum charitatem esse in hoc dilucidum est: quia eam erga nos manifestauit, quandoquidem filiũ suum unigenitum per charitatem quo nos in ipso diligit, misit in mundũ, ut nos mortuos uiuificaret per ipsum. Quod hoc pacto subdit Ioannes, dicens:

59 » In hoc apparuit charitas dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit
» deus in mundum, ut uiuamus per eum.] Quantum pater diligit filium, tantum nos in filio diligit, qui sumus filio quodãmodo consortes: & hoc charitate patris, qui uoluit eum hominem fieri propter nos. Pater autem filium infinite diligit, ergo infinita patris erga nos in filio charitas. Quomodo ergo nunc amore uiuificati diligere non debemus, qui nos etiam mortuos, infinite in filio & propter filiũ dilexit, hanc incomprehensibilem testatus dilectionem, mittẽdo filium suum ut nos uiuificaret, & uiueremus per filium? Quomodo non amare poterimus filium qui nobis dedit uitam, & uitam quidem qua uiuit sempiternam, & in quo, & propter quem uiuimus & habemus & regnum & regni ut filij dei cum eo hæreditatẽ: qui est nobis omnia, per quem sumus quicquid sumus, & per quem quicquid altũ & sublime & uere diuinum est, habituri sumus? Certe si uiuimus, non amare nõ poterimus. Sed hæc uita nostra non est: sed est suum datum. Hic amor nõ noster est, sed est gratiæ ipsius infusio: ipse se nobis infundit ut uiuamus, spiritus eius nobis illabitur ut amemus. Neq; enim ex nobis ipsis uiuimus, neque ex nobis amamus, sed ex ipso: ne putemus dilectionem nostram ipsum ad nos attraxisse. Non certe ita est, sed charitas eius nos ad se attraxit, attractos uiuificauit: infudit amorem, ut nos uitæ nostræ diligeremus autorem. Et quomodo dilexissemus eum qui mortui eramus, qui uita carebamus? Charitas dei est origo nostræ uitæ, cui in nullo cõcurreramus: sed potius ad oppositũ, utpote ad peccatum quod est causa, fomes & origo mortis. Quod innuit Ioannes, dicens:

60 » In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.] Non solũ non diligebamus, non solum mortui eramus, quando charitas dei misso in mũdo
Hiere. 31. filio nos requisiuit, nos attraxit (sicut scriptum est: In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans) nos uiuificauit; sed habebamus causam mortis peccatũ,

& non

& non modo unum ſed plurima, quæ deo ſunt inimica, & nos deo inimici: dilecti quidem in CHRISTO ob naturæ in eo electionē: inimici uero in nobis ob peccata. Sed tanta charitas patris & filij fuit in nos, ut nos filius in ſe dilectos, in nobis inimicos repropitiaret patri, uolens pro omnibus mori ut uiueremus, non autem ut moreremur: nā mortui eramus. Ergo mortuus eſt, ut mortui uiueremus: quia mors eius hoſtia fuit, ut nos odio habiti in gratiam rediremus, quia ipſe propitiatio pro peccatis noſtris, ut nos ad ſe conuerteret amantes. Quid cauſæ? Quia ipſe eſt charitas qui nos prior dilexit: & tantum dilexit, ut illi amori nullus reſpondere poſſit amor, quippe cum immenſus omnem excedat amorem amandiq; rationē. Cum ergo deus tantum nos dilexerit, quomodo nos ipſos quos ſic deus dilexit, non mutuo amabimus in CHRISTO ut dei filios, in ipſo & propter ipſum? Quomodo non agnoſcemus noſtræ generationis originem, qui in charitate redempti ſumus, in charitate uiuificati, in charitate regeniti filij dei? Degeneres certe ſumus, ſi non nos mutuo dilexerimus. Propter quod ſubdit Ioannes:

61 » Chariſſimi, ſi deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo uidit unquam.] Nos ſumus filij charitatis, deus autem charitas eſt: filij autē portant imaginem patris. Et qui non uidit patrem & uidet filium, patrem in filio uidit: quia filius imago patris eſt, & in ſe habet imaginē patris. Cum ergo deum reuelate nemo mortalium uiderit unquam (nam dum hāc mortalem uitam uiuit, fide currit, quæ non eſt reuelata, ſed in ænigmate dei uiſio) & ſi deum, ſi charitatē ipſam uidere non poſſumus: poſſumus tamen fratrē reuelate uidere, qui dei imago eſt, & in ſe habens imaginem diuinæ charitatis, quia filius dei regenitus eſt, & quod uidemus in fratre, idē frater in nobis uidet, quia eiuſdē imāgo ſumus. Ideo ſi nos ſic inuicem diligamus, deus manet in nobis, & charitas eius perfecta eſt in nobis: quia ipſum in nobis ut patrem cognoſcimus, & mutuam charitatem quæ perfectum eſt ſignaculū eius, in nobis ipſis etiā mutuo eſſe cognoſcimus. Quod & ſic innuit Ioannes, ſubdens:

62 » Si diligamus inuicem, deus in nobis manet, & charitas eius in nobis parfecta » eſt.] Charitas perfecta, charitas dei eſt, & charitatis diuinæ qua nos deus in filio diligit ut filios, ſignaculum. Ideo reciproca eſſe debet, ut qua nos inuicem diligamus propter patrem, & quia eiuſdem patris & plus quàm eminēter boni, & plus quàm intelligi poſſit amandi, in nobis portamus imaginē. Ratio qua pater amat filios, eſt in filio: ideo ratio qua filij patrem, aut ſe mutuo amant, eſt in patre & in ratione qua nos amat, quæ eſt filius eius ſuper omnem benedictionis intelligentiā benedictus. Et qui hūc amorem habet, manet in deo, & deus in eo: quia hic amor à ſpiritu dei eſt, & donum dei altiſſimi, à dei charitate infuſum. Quod & inſinuat Ioannes, dicens:

63 » In hoc cognoſcimus quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis: quoniam de ſpi » ritu ſancto ſuo dedit nobis.] Hoc ait, quoniam de ſpiritu ſancto ſuo dedit nobis: ne putaremus eum loqui de dilectione inuicē quæ ſecundum naturam eſt, & quæ quodāmodo eſt noſtræ poteſtatis. Non de hac, ſed de ea quæ chariſma eſt, & ſpiritus ſancti donum intelligendum eſt. Nam quantumcunq; dilectione naturali diligamus, ſicut mater natura diligit filium, pater liberos, frater naturaliter fratrem: ex hac nunquā cognoſcimus deum manere in nobis, & nos in deo, ſed ex ea quæ à ſpiritu dei eſt, & quæ eſt eius donum. Attamen ſi eam quæ ſecundum naturā eſt non habes, ſed oppoſitum, & in omni homine non amas ſimilem tecum naturam quod naturale eſt, noſſe id certo potes, te non in deo manere, neq; deū in te: quia amor naturæ non corruptus, quædam eſt præparatio ad diuini amoris ſuſcipiendum munus, ut diaphanitas quædam diſponit aërem ad luminis ſuſceptionem.

Absorbere tamen debet susceptus diuinus amor, amorē naturalem, ut lumen diaphanitatem, & ratio diuini amoris, rationem amandi naturæ: quia ille perfectus, potens, efficax: hic, imperfectus, debilis, & inefficax: ille è summo, hic ex imo: hic tamen suo modo bonus reputatur, & sic bonus, ut nullus in mūdo, ut mundus dicitur, præter eum qui naturæ est aut secundum naturā sit reputetúrue bonus. At tamen tantum cedēs diuino, quantum terra cœlō: et si illi compares, malus, ut qui nihil confert ad salutem. Et ne quis dicat ad hanc charitatem manifestandā & nobis exhibendam patrem non misisse filium in mundum, ipse oculatus est testis, & reliqui apostoli qui cum filio dei in terris conuersati sunt. Propter quod ait:

64 » Et nos uidimus, & testificamur quoniam pater misit filium saluatorē mundi.] Vidit Ioannes filium dei, & supra sacrum pectus in cœna recubuit, annunciantē cœlestia mysteria audiuit, mortuos uidit suscitantem, leprosos mundantem, dæmonia non aliena, sed ui propria eiicientem: omnem infirmitatem curantem: uentis procellosis, & sæuo mari imperantem: siccis plantis super undas ambulātem, ac deniq; glorioſe transformata facie ueluti solare iubar radiantem, & uocem patris de dilecto filio testificantem auribus hausit: morienti adfuit, & ab eo ex mortuis rediuiuo, tunica perpetuæ immortalitatis uestito, sermonem accepit: cum eo cibum sumpsit, & in cœlum euntem, quantum mortales oculi uidere potuerunt, suspexit, uisuq; prosequutus est, & spiritum sanctum, ut ab eo promissus fuerat, è cœlo missum accepit, & omnes qui in cœnaculo pariter erant, qui & ascendente domino in monte oliuarum fuerant. Tali igitur testi, quod pater misit filiū suum saluatorem mundi credendúmne est? Credendum sanè, & quicquid aliud annunciauerit nobis, credendum: ut quod IESVS sit filius dei, quod ipse & collegæ eius apostoli nouerunt & crediderunt, & quod tantam charitatē nobis deus exhibuit, exhibetq; quam & ipsi nouerunt, & cui ipsi crediderunt. Quod ipse subdit dicēs: 67

65 » Quisquis confessus fuerit quoniā IESVS est filius dei, deus in eo manet, & ipse » in deo. Et nos cognouimus & credidimus charitati, quam habet deus in nobis.] Hæc confessio, quod IESVS est filius dei, est confessio fidei quam spiritus sanctus infundit uiuam & efficacem, imò quam se uiuificantem fideles sentiunt, & se in deo manere, & deum in ipsis. Diligunt enim inuicem deum charitate, non quam ipsi, sed quam deus facit, quamq; habet in ipsis. Et tantæ charitati credere debemus, & sic nos deum in filio tanta diligere charitate, quam nihil altum, nihil forte

Rom. 8. aut debile dissoluere unquā possit, & ut Paulus inquit: Neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; uirtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate dei, quæ est in CHRISTO IESV domino nostro. Tantæ igitur suapte natura, tam inuincibili, tam incomprehensibili charitati pro uirili nostra, quid aio pro uirili? imò supra uires nostras, gratijs ad hoc ipsum supra nos infusis, ne simus ingrati: sed charitati non agentes sed acti, charitate respondentes, ante tantam, tamq; immensam animis liquescamus bonitatē. Mirum certe est, si nos ipsos respicimus, tantam erga nos esse dei benignitatem, tantam tamq; ineffabilem esse charitatē. At si filium in quo, & per quem diligimur, nihil mirum, quia nihil habet nō amabile, qui est ipsa uera amādi ratio charitatisq; idea: & qui amat patrem, sicut pater amat nos in ipso, incomprehensibiliter & immense, & sua charitate satisfacit pro nobis, nostræ impossibilitati & ingratitudini: non enim patrem amare possumus ut nos amat. Si patrem etiam respicimus, nihil mirū erga nos eam esse charitatis immensitatem. Nam ipse charitas est: quod subiungit Ioannes, dicens: 68

66 » Deus charitas est, & qui manet in charitate, in deo manet, & deus in eo.] Quicquid est deus, charitas est. Pater, charitas est, & fontana charitas. Filius, ratio,

tio, character, imago & paternæ charitatis expressio. Spiritus sanctus, immẽsum donum, immensaq; ab utroq; charitatis effusio. Et ideo qui manet in charitate, in deo manet, in patre, in filio, in spiritu sancto: & deus in eo, & pater, & filius, & spiritus sanctus. De qua mansione ait ipse filius: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionẽ apud eum faciemus. O beatissima mansio, in deum manere, & deum in nobis. Et hoc si spiritu fidei diligimus filium dei, qui uult hoc modo à nobis diligi. Quid enim charitas ipsa uult, nisi diligere & diligi? O felicissima, qua diligit filius dei dilectio, quæ est dilectionis qua nos diligit in ipsum reflectio: nã ipsum diligere non possumus, qui pro captu cuiusq; diligit omnia, nisi nos primũ diligat. Charitas dei erga nos, dilectio directa. Charitas dei in nobis erga deum, dilectio reflexa: quæ utraq; non secus dei est et à deo, quàm radius solis directus et reflexus, solis est & à sole. Neq; diligere possumus deum, nisi quia ipse prior diligit nos: ut neque lumen à terra in solarem lucem reflecti, nisi solaris lux prior illuminet. Charitas dei lux solis, sed solis infinitæ lucis. Charitas nostra lumen solis in terra erga solem se reuibrans ac reflectens. Propter quod & postea dicturus est Ioannes: Nos ergo diligamus deũ, quia deus prior dilexit nos. At prius de diuina hac charitate, qua deus à nobis diligitur, prosequitur: ut cognoscamus quãdo perfecta est, & quando imperfecta, & nondum consummata, dicens:

Ioan. 14.

67 In hoc perfecta est charitas dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicij, quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.] Charitas dei qua nos diligit, semper est perfecta, & (ut sic dicam) exuberanter & supra quàm perfecta. Sed charitas dei in nobis, etsi in nobis sit, non semper est perfecta, & hoc ex nobis est, qui nondum sumus uasa apta & parata, ut simus perfectæ charitatis capacia. Neque enim in omni parte terræ solare lumẽ perfectum est, perfecteq; in solem recurrit, quod non ex ipso sole est, sed ex ipsa terrestri mole, utsi fuerit impura, fumosa, uaporosa. At si (id quidem faciente sole) fuerit dura, polita & munda, tunc soli obiecta tanquam ipsum plenissime respiciens, fortius reflectit lumen & perfectum solis in se lumen habet: sin secus, debilius & imperfecte lumen solis admittit, & aliquando non admittit. Sic qui spiritu fidei faciente fide, solidus est, purus & mundus, charitatem dei in se perfectam admittit, quæ ad ipsum unde perfecte resilit, & plenam fiduciã habet in gratia, bonitate & misericordia dei: neq; diem iudicij dei in egressu huius uitæ, neq; in seculorum fine quicquam exhorret: & hoc, quia sicut CHRISTVS in cœlo est perfectam charitatem habens, sic & ipse in mũdo est, pro captu suo perfectam habens charitatem. O preciosa in nobis perfecta dei charitas. O inæstimabilis margarita, quæ sola perfectam præstat nobis in deo & de deo fiduciam: sin imperfecta, partim diffidit, & fiduciæ suæ timorẽ iudicij, tum particularis, tum uniuersalis in nouissimo die admiscet. Ideo diem mortis exhorrescit & diem nouissimum, & hoc ratione iudicij & metu pœnarum. Et huiusmodi charitas imperfecta est, & hic timor adhuc seruilis est, qui filios non decet, sed aut seruos aut libertos, qui nõdum sunt perfecte liberi, aut qui nondum suam intelligunt libertatem, & perfectam domini sui bonitatem, qui ipsos adoptat in filios. Et hi deum adhuc cogitare non possunt, ut immense bonum & solum bonũ, & solum amandum, & ut patrem, neq; ut talem amare perfecte quidem, sed ut dominum & timendum, & id quidem non pure, sed impure atq; imperfecte. Et ideo hæc charitas, manca & imperfecta est, & hoc ex ipsis. Ob quod subdit Ioannes:

68. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem: quoniã timor pœnã habet.] Timor iudicij, timor pœnæ, timor seruitutis non est in charitate, id est in perfecta charitate, quæ sola est & meretur dici charitas: quando-

quidem imperfecta charitas non ea est dignitate ut dicatur charitas, sed charitas quæ perfecta est, qua similes sumus in terris filio dei qui est in cœlis, qui neque habet, neq; unquam habuit huiusmodi timorem. Si timuit, tæduit, expauit: nobis timuit, tæduit, expauit, non sibi. Perfecta inquam charitas, foras pellit, extrudit, & prorsus exterminat huiusmodi timorem. Sed quæret quispiam fortasse, filiorũ dei & perfecte diligentium deum, perfectamq; charitatem habentium, est ne timor?

Psal. 18. Est, sed timor diuinus non humanus, spiritualis nõ carnalis de quo dicitur: Timor domini sanctus permanet in seculum seculi, qui & reuerentia dicitur, & perfecta quidem reuerentia. Et hic timor fundamentum habet profundissimam, & (ut sic dicam) abyssalem humilitatem: obiectum uero illam summã, infinitam & incomprehensibilem maiestatem: & hunc timorem, hanc reuerẽtiam & profundissimã in hac reuerentia humilitatem, secundum dispensationẽ carnis assumptæ, semper habuit & super omnes CHRISTVS dominus dei filius erga patrem, & tantam ut nullus alius ad eam attingere possit. Nam de hoc timore, & de eo scriptum erat:

Esaiæ 11. Requiescet super eũ spiritus domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, et replebit eum spiritus timoris domini. Et hic timor qui reuerentia est, & reuerentia dicitur, est in omnibus angelis & omnibus sanctis qui consummati sunt & in cœlo & in terra. Est & timor domini imperfectus, qui est timor offendendi deum quia summe bonus, & maxime omnium indignus qui offendatur: & hic timor imperfecta reuerentia est, de quo

Psal. 110. dicitur: Initium sapientiæ, timor domini, & ob propriã infirmitatem cautionem habet. Hunc timorem CHRISTVS dominus non habuit, neq; angeli cœlorum, neq; sancti qui in cœlis sunt. Nõ enim timuit dominus offendere deum, qui offendere non potuit, neq; sancti in cœlis, ut neq; confirmati angeli dei, deũ offendere possunt: sed hæc potestas non offendendi (excepto solo CHRISTO) nõ aliorum est potestas, sed dei munus & gratia. Neq; etiam hunc timorem, summe perfecti summeq; fideles, & in charitate consummati, in hoc mundo habent: & id non ex se, sed dei munere. Hic timor obiectum habet summam bonitatem quæ & ei est ratio non offendendi. Qui tamen hunc habet, offendere timet ob imperfectionem & propriã imbecillitatẽ. Quod ergo cauet ab offensione, non est ob pœnæ metũ, sed ob eminentiam diuinæ bonitatis, alioqui non esset bonus & ordinatus timor, bona & ordinata cautio, sed inordinata & mala, & non prudentiæ spiritus nixa, sed carnis imprudentiæ: quare non esset initium sapientiæ, quæ est prudentia consummata. Et qui hunc habet timorem, similis est probæ frugis adolescẽti, qui obsequitur bono patri, & patrem amat & timet offendere, quia bonus et quia pater, non quia delinquens puniretur. Et hic bene natus, & insitam habere uidetur prudentiam, aut prudentiæ principium, quæ dum consummata fuerit (ut dictum est) sapiẽtia est. Consummata autem est in eo, quum in bono, id est, in obedientia & amore patris adoleuerit, & perfectus euaserit uir: tunc non timet amplius offendere patrem, sed reueretur solum, non amplius offendere timens. Ergo timor offendendi etsi bonus, imperfectus est, & imperfectam habens prudentiam: timor autem puræ reuerentiæ, perfectus, & perfectæ prudentiæ est atq; sapientiæ, quo filium dei imitamur, super quem requieuit spiritus sapientiæ, & spiritus timoris domini, nõ sapientiæ imperfectæ, & nõ timoris imperfecti, cum ille harum utraq; ex parte imperfectus fuisset. Et ubi timor perfectæ imitationis adest, imperfectũ excludit timorem, ut uirilis ætas ingenuam adolescentiã, etsi hic & ille non essentia, sed penes perfectum & imperfectum differunt, ut essentia idem uir & adolescens. Et tãto magis excludit malum timorem, quo quis metu pœnæ cauet offensionem: de quo dicit Ioannes, quod pœnam, id est, supplicium & cruciatũ mẽtis habet.

habet. Nam ut inuidia cruciat inuidum, sic hic timor pœnæ cruciat, & supplicio affligit timidum: quod bonus timor, siue non offendendi, siue puræ reuerentiæ non habet, sed oblectationem. Et qui inter christianos hoc timore, obiectu uidelicet pœnæ timet: assimilatur adolescenti male nato, qui non amore boni, amore patris non offendit, sed metu pœnæ. Huic imprudentia comes est, aut imprudentiæ initium: hic timor patris perpetuo eum cruciat, & adeò patrem non amat, ut etiã gauderet si non esset, quo excutere posset omnem reuerẽtiam quam paruam aut nullam habebat, & ut nullo offendendi metu, in omne flagitium rueret. Hic filius imprudens & degenerans in seruum, imò natura seruus: etsi benignitas patris eum ferat ut filium, & hæreditatis participem faciat ut liberum. Quomodo igitur hic timor in charitate esset, & in perfecta quidẽ charitate? Impossibile sanè est. Et deceret omnes, præsertim adulta ætate christianos, in timore domini esse perfectos, & nullum quomodocunq; habere timorem offendendi. De alijs qui non sunt in charitate perfecti, subdit Ioannes dicens:

69. Qui autem timet, non est perfectus in charitate.] De timore ratione pœnæ hoc præsertim dixit, quia magis charitati aduersatur: etsi id etiam uerum sit de timore domini imperfecto, qui timor est offendendi, seu bonitatem dei obiectũ habeat, seu iustitiam, quia nondum est perfecta in deum fiducia, & qui, nisi exclusa eius imperfectione, non stat cum perfecta charitate, quæ perfectam habet spem, plenamq; in deo fiduciam. Sed dices an possit mortalis ad hunc perfectionis pertingere gradum, ut possit non timere, ne deum offendat? Si seipsum respicit & fragilitatem suam, ex se impossibile est: sin deum, diuinumq; in CHRISTO munus & præsidium, possibile est. Et hæc potestas (ut dictum est) non sua ipsius, sed dei est. Et quur deus id in suis filijs non faceret in bonũ, quod princeps mundi huius in suis facit in malum? Nam qui sunt in malo consummati, omnem offendendi excutiunt timorem, neq; pœnam timentes, neq; maiestatem uerentes. Etiã qui sunt charitate consummati, omnem offensionis excutiunt metum: nam is ab imperfectione nascitur. Et non aliter non timent deum offendere, quàm uir etiã humana iustitia consummatus, aut perfecte temperans, non timet furtum facere, aut uino inebriari, aut uicini thorum uiolare. Nunquid plus poterit humana uirtus in tollendo timore offensionis, quàm diuina uirtus, diuinum munus, supernumq; præsidiũ? Nullus arbitror qui uere recteq; sapiat, id dicturus est. Et ut de timore nonnulla paucis perstringamus: triplicẽ dicimus esse timorẽ, diuinum, humanũ, mundanum. Diuinus, quidã perfectus, & quidã (ut uisum est) imperfectus, & uterque erga deum est reuerentia. Et ut est, ita diuinæ innititur sapientiæ: & perfecto & imperfecto differunt: non substantia, sicut nec obiecto. Humanus timor, est qui homini secundum naturam ineſt, & de eo præsertim loquimur, qui est quædã humana reuerentia. Et is similiter duplex, perfectus & imperfectus. Imperfectus, ut in adolescentibus probæ indolis beneq; natis & bene educatis erga patres. Perfectus, ut in eisdem uiris & humana prudentia perfectis: & hi ut sunt, ita humanæ, id est, quæ secundum hominem est, innituntur prudentiæ: & hi humani substãtia sunt idem, ut & obiecto: sed perfecto & imperfecto dissident. Sed hi à timore diuino substantia differunt, sicut & obiecto, & prudentia humana à diuina. Timor mundanus, siue erga diuin siue erga humana, timor est præter naturam: ut circa humana, ut in adolescentibus prauæ indolis, malæ natis, aut male educatis, & in eisdem factis uiris. Circa diuina, ut in filijs inobedientiæ: & hic continuum habet cruciatũ, qui si extinguitur, ad omne facinus laxant habenas, neq; illi parẽtes, neq; isti deum, neq; Acheronta timentes. Et hic timor longo interuallo ab humano, & multo magis à diuino qui primus præcipuusq; timor est, substantia differt, ut &

obiecto: ſed & ſecundus timor & tertius inter ſe differunt, ut & pœnæ temporales, & pœnæ perennes, quæ horum et illorum obiecta ſunt timoris. Primus eſt filiorum dei: ſecundus, filiorum hominum, qui & filij ſunt naturæ, & non degeneres: tertius filiorum mundi. Primus eſt ſupernaturalis: ſecundus naturalis: tertius infra & præter naturam. Ille diuinus, iſte humanus: hic diabolicus: ille perficiens, iſte præparans: hic deſtruens. Ille & iſte, liberales & filiales: hic illiberalis & ſeruilis: ille & iſte, ſuo modo prudentium & bonorum: hic ſtultorũ & malorũ. Et licet bonus timor qui reuerentia eſt, & amor uicini ſint, & perpetui aſſeclæ & comites: amor tamen obiectum habet bonum & ratione boni, & timor bonũ ratione maieſtatis aut ſimpliciter aut in ueſtigio. Pater in hoc imitatur maieſtatem, quia poſt deum dat eſſe, & huic reuerentia & timor debeẽ humanus. Et hinc pendet diſcrimen & differentia timoris & amoris, quæ adeò propinqua & germana ſunt, ut uix internoſcatur diſcriminis nota. Et ex his (niſi me mea fallit opinio) poterit quis prope modũ recte philoſophari de timore & partim de amore. Sed parum eſt de his, etiam recte philoſophari: at magnum omnino in his ſe bene exercere. Qui bene amant, qui bene timent: obiectum ſemper ſurſum habent, & nunquam ima reſpiciũt pro ſcopis: qui male, ſemper ad ima pro obiectis & ſcopis demittunt oculum. His itaq; poſitis de timore, & de perfecta charitate quæ deũ primo reſpicit ut ueritatem, & proximum ut imaginem: quædam quaſi nonnulla ſuperiorum recapitulans, ſubnectit Ioannes:

70 » Nos ergo diligamus deum, quoniam deus prior dilexit nos.] Diligimus deũ dei dilectione, quia nos prior dilexit, neque aliter hoc modo diligere poſſumus: quandoquidem quæ in nobis eſt (ut numero 66. dictum eſt) diuina dilectio, reflectio eſt dilectionis eius. Diligamus etiã eum, quia prior nos dilexit, & illa ſua dilectione nos ad diligendum attrahit, ut lux oculum ad uidendum. Diligamus, nõ quia nos, ſed quia ipſe, id eſt, non nos, ſed ipſum attendendo: nõ propter nos, ſed propter ipſum & ſuam dilectionem, quæ tanta eſt, tam diuturna, ut infinite, & ab æterno diligere non deſtiterit nos uſq; ad horam creationis noſtræ, quos in charitate & dilectione, & ad charitatem & dilectionem creauit, creatos continet, quibus ſua charitate & dilectione prouidet omnia bona tam corporis quàm ſpiritus. Et hæc dilectio, qua ex ueritate debemus diligere deum: pura eſt eius dilectionis qua nos diligit reflexio in ipſum, non nos attendentes, ſed ipſum ſolum, ut & dictum eſt. Alia eſt quæ ex imagine reſilit in deum, & hæc dilectio fraterna eſt, quæ & proximi dilectio nominatur. De qua ſubdit Ioannes:

71 » Si quis dixerit quoniam diligo deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui
» enim non diligit fratrem ſuum quem uidet, deum quem non uidet quomodo poteſt diligere?] Deũ quàm diu ſumus in hoc mundo, non niſi fide cognoſcimus, non niſi in imagine uidemus. Imago aũt dei homo eſt: maxime is qui fide ad imaGen. 1. ginem dei eſt reformatus. Creauit, inquit, deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Et homo chriſtianus, non teletis, initiationibus & ſacramẽtis modo exterioribus, ſed & fide & ſpiritu innouatus, eſt dei imago, & ut dei filius. Nã ut filius ſecundum carnem, exprimit patrem carnalem: ita ſpiritualis, deum. Qui ergo fratrem non diligit, falsò dicit ſe diligere deum, quem frater creationis origine & magis ſacris conſummationibus, gratia, fide, iuſtitia & reconciliatione quæ pax dei eſt exprimit, quia qui odit imaginem, & id nõ amat cuius eſt imago, id eſt, ipſam ueritatẽ. Amor dei ad nos, eſt lux in ſole, amor noſtri ad deum, eſt lux oculi: amor fratris ad nos: aut noſtri ad fratrem, lux in ſpeculo: lux dico amantis ad amatum uibrata, & ab amato reuibrata, unde fit ut omnium ſit idem amor, etſi ab ipſo fonte amoris qui eſt ſumma charitas, in alijs uarie ſuſceptus; eſtq; omnis

amor

amor & qui ad deum & proximum est: primi qui est absolutus amor, imago. Et quomodo ergo si non amas imaginem, id est fidelē quem uides, amare potes imaginis autorem, ac ueritatem ipsam quam non uides? Et certe omnes se mutuo diligerēt, nisi ipsa imago deformata esset, aut in eo qui odit, aut in eo qui oditur, aut in utroq; ut in Cain potius deformata erat imago quàm in Abel: in Lamech autē & Cain in utroq; deformata. Et hæc in eis in similitudine dicta sint. Nunquā christianus non diligeret christianum, ne dicam odiret, nisi alter aut uterq; suam generationem corrupisset, & adulterasset diuinam imaginem, regiumq; numisma. O deploranda dies, qua diuinam perdimus imaginem. O infelix & summe miserum peccatum, & nostrum quodammodo magis quàm primi parētis, quo perfectiorem obscuramus, uiolamus, adulteramus imaginē. Quod haud dubio facimus: si aut deum aut fratrem non diligimus. Nimirū ergo dedit saluator mundi pulchræ generationis autor præceptum de diligendo deo, & non solum de diligēdo deo, sed & pariter fratre diligendo. Quod præceptum subiungit Ioannes, dicens:

72 Et hoc mandatum habemus à deo, ut qui diligit deum, diligat & fratrem suū.] Hoc præceptum: Qui diligit deum, diligat & fratrem suum, Ioannes à deo, id est à CHRISTO audiuit & accepit: quod nobis communicat ut simus in dilectione dei super omnia, & in dilectione fratrum propter ipsum feruentes. Nam frater ipsius, eiusdem filius & imago est, non à se, sed à deo: & sic nos ipsos propter deum, & nō propter nos diligere debemus. Etsi est tibi cupido salutis, breuis est uia: Dilige deum, dilige proximum, & utrunq; pure & pro decētia, & securus uitæ esto. Et quamuis hoc diuinum munus sit, non nostrarum uirium opus: nullis tamen diuino tractui qui uasa disponit & capacia facit non reluctantibus negat illud deus, quia charitas est, cuius proprium est sic dilectionē infundere, ut luci lucere. Charitas, est uia uitæ, & unica uia, certissima, breuissima, et deo placidissima: quā omnibus largiri dignetur, ut ab omnibus in charitate glorificetur, qui solus uera charitate mentes hominum illuminat ad uitam, & uiuificat ad gloriam, quicquid in cœlo & in terra uiuit: cui honor, gloria & potestas patri, filio, & spiritui sancto in omnia seculorum secula. Amen.

CAPVT QVINTVM.

73 MNIS qui credit quoniam IESVS est
74 CHRISTVS, ex deo natus est. Et omnis qui diligit eum qui genuit, dili-
75 git & eū qui natus est ex eo. In hoc cognoscimus quoniā diligimus natos dei, quū deū [diligamus,] et mandata eius [faciamus.]

76 Hæc enim est charitas dei, ut mandata eius custo-
77 diamus, & mandata eius grauia non sunt. Quoniā omne quod natum est ex deo, uincit mundum: & hæc
78 est uictoria quæ uincit mūdū, fides nostra. Quis est aūt qui uincit mundum, nisi qui credit quoniā IESVS
79 est filius dei? Hic est qui uenit per aquam & sanguinem IESVS CHRISTVS: non in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Et spiritus est qui testificatur quoniā
80 [CHRISTVS] est ueritas. ☞ Quoniam tres sunt

ANNOT.

diligimus, ἀγαπῶμεν τὰς ἐντολάς, & *infra*. *seruamus*, τηροῦμεν.

spiritus, τὸ πνεῦμα. Hæc particula tēpore Hieronymi Græce habebatur.

qui teſtimoniũ dant in cœlo: pater, uerbũ, & ſpiritus ſanctus: & hi tres unũ ſunt. Et tres ſunt qui teſtimoniũ dant in terra: ſpiritus, aqua, & ſanguis: & hi tres [unum] ſunt. Si teſtimoniũ hominum accipimus: teſtimonium dei maius eſt. Quoniam hoc eſt teſtimonium dei, quod maius eſt, [quoniam] teſtificatus eſt de filio ſuo. Qui credit in filium dei, habet teſtimoniũ dei in ſe. Qui nõ credit [filio,] mendacem [facit] eum, quoniam nõ [credit] in teſtimonium quod teſtificatus eſt deus de filio ſuo. Et hoc eſt teſtimonium quoniam uitam æternam dedit nobis deus: & hæc uita in filio eius eſt. Qui habet filium dei, habet uitam: qui non habet filium dei, uitam non habet. Hæc [ſcribo] uobis, ut ſciatis quoniam uitam habetis æternam, [qui creditis] in nomine filij dei. Et hæc eſt fiducia quam habemus [ad deum:] quia quodcunq; petierimus ſecundum uoluntatem eius, audit nos. Et ſcimus quia audit nos quicquid petierimus: ſcimus quoniã habemus petitiones quas [poſtulamus] ab eo. [Qui ſcit] fratrẽ ſuum peccare peccatũ non ad mortem, [petat: & dabitur ei uita, peccanti] non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem: non pro [illo] dico ut roget quis. Omnis [iniquitas] peccatum eſt, & eſt peccatũ ad mortem. Scimus quia omnis qui natus eſt ex deo, non peccat: [ſed generatio dei cõſeruat eum,] & malignus non [tanget] eum. Scimus quoniam ex deo ſumus, & mundus totus in maligno poſitus eſt. Et ſcimus quoniã filius dei uenit: & dedit nobis [ſenſum] ut cognoſcamus [deũ uerũ,] & ſimus [in uero filio eius.] Hic eſt uerus deus, & uita æterna. Filioli, cuſtodite [uos] à ſimulachris.

ANNOT.

ad unum, εἰς τὸ ἕν. 73.

quod, ὅτι.

deo, τῷ θεῷ. fecit, πεποίηκεν. credidit, πεπίστευκεν. 74

ſcripſi. ἔγραψα. † qui creditis in nomine filij dei, τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ. & ut credatis, καὶ ἵνα πιστεύητε.

ad eum, πρὸς αὐτόν.

poſtulauimus, ᾐτήκαμεν.

Si quis uideat, ἐάν τις ἴδῃ.

petet, & dabit ei uitam peccantibus, αἰτήσει, καὶ δώσει αὐτῷ ζωὴν ἁμαρτάνουσιν.

illo ſcilicet peccato, ἐκείνης. 75

ἀδικία. † non, οὐ.

ſed qui genitus eſt ex deo, ſeruat ſeipſum, ἀλλ' ὁ γεννηθεὶς ἐκ τοῦ θεοῦ τηρεῖ ἑαυτόν. tangit, ἅπτεται.

intelligentiam, διάνοιαν. eum qui uerus eſt, τὸν ἀληθινόν. 76
in eo qui uerus eſt in filio, ἐν τῷ ἀληθινῷ ἐν τῷ υἱῷ. uoſipſos, ἑαυτούς.

COMMENT. IN CAP. QVINTVM.

EX ijs qui ueniebant ad ſacrum baptiſma, quidã ficte aggrediebantur, & non credebant IESVM eſſe CHRISTVM, eſſe Meſſiam qui promiſſus erat mundi ſaluator: & hi ex deo non recipiebant generationem. Qui autem non ficte ueniebant, ſed ut catechumeni ad fidem inſtructi abluti ſacris undis, firma fide, ſpiritum fidei accipiebant, credebant IESVM eſſe CHRISTVM, eſſe Meſſiam promiſſum, & mundi redemptorem,

redemptorem,& quæ de eo ipſis annunciabantur:& hi diuinam percipiebant generationem. De quibus ſubdit Ioannes,dicens:

73. Omnis qui credit quoniam IESVS eſt CHRISTVS, ex deo natus eſt.] Primi eorum qui paulo ante dicti ſunt,euadebant hæretici, dei inimici, & uere regeneratorum perſequutores:ſecundi uere fideles, tam dei qui pater eſt huius generationis,quàm omnium filiorum eius amatores. Nõ enim plenè credidiſſent,niſi dilexiſſent eum ad quem ueniebant:& ſi eum diligebant:& natos etiam ex eo,quorũ generationis ſe participes effici gaudebant. Propter quod ſubdit Ioannes:

74 Et omnis qui diligit eum qui genuit,diligit & eum qui natus eſt ex eo.] Is qui genuit, pater eſt, & cœleſtis, & ſuper omnes pater: is qui genitus eſt, filius: & hic duplex, filius πρωτογενὴς καὶ ὑστερογενὴς, id eſt, primogenitus & poſtgenitus. Primogenitus qui idem deus eſt:& quia deus eſt,regenitorũ pater eſt, & ut pater amandus. Et ſpiritus ſanctus,quia deus eſt,regenitorũ pater eſt, & ut pater amandus,una eadẽ charitate qua pater ille ingenitus,& qua primogenitus:adeò ut non abs re intelligamus deum filium mandaſſe hanc regenerationem fieri, in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, ut hi tres intelligantur unus noſtræ generationis autor,unuſq; pater. Et primogenitus qui non poteſt eſſe niſi primogenitus, noſtrũ baptiſma ſuſcepit:ut ſanctificaret omnes poſtgenitos. In terra primogenitus frater inter multos fratres:in cœlo primogenitus dei,& regeneratorum pater. Et quia idem in cœlo & in terra: ideo ut primogenitus frater non ſolum diligendus eſt ut poſtgeniti fratres,ſed ut deus generationis autor & ſanctificator. Et quia amat æternæ generationis ingenitum patrem, æque atq; patrem, hunc primogenitum qui ex eo natus eſt amat. Et omnem alium qui ex deo natus eſt, ſuo modo, & ut poſt genitum:de quo quidem ſic àdeo genito quod poſtgenito,potiſſimum intelligebat Ioannes cum dicebat: Et omnis qui diligit eum qui genuit,diligit & eum qui natus eſt ex eo:ſiquidẽ primogenitus, & ſpiritus ſanctus cum patre collocantur,& hic,patris & eius qui genuit nomine comprehenduntur. De nobis igitur qui ſumus nati ex deo,ſed non primogeniti,uerum in primogenito regeniti,ſubdit Ioannes:

75 In hoc cognoſcimus quoniam diligimus natos dei,quum deum diligamus,& mandata eius faciamus.] Ratio diligendi natos ex deo, eſt dei dilectio. Dilectio autem dei,habet mandatorum eius obſeruationem: neq; enim hunc uere diligis, cuius præcepta contemnis aut negligis. Et cum dilectio dei, ſit ratio amandi eos qui gignũtur ex eo,quandoquidem qui uere diligit patrem, diligit & eum qui ex eo gignitur:ex dilectione ergo dei cognoſcimus dilectionem erga filios eius. Sed & dei dilectio cognoſcitur ex prompta & expedita obſeruatione mandatorum eius(nam in talibus ſpiritus dei operari cognoſcitur) quæ facientibus factu leuia ſunt,& uera lætitia pleniſſima. Quod & ſubdit Ioannes,dicens:

76 Hæc enim charitas eſt dei,ut mandata eius cuſtodiamus, & mandata eius grauia non ſunt.] Dicebat ſaluator,ad ſua præcepta uocãs quæ ſunt mandata fidei, & ſpiritus & gratiæ: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis,& ego reficiam uos. Tollite iugum meum ſuper uos, & diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde,& inuenietis requiem animabus ueſtris. Iugum em̃ meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Iugũ mundi graue eſt,& onera eius grauia: ſub quibus multum laborant & uexantur mundani. Iugum mundi,iugũ ſeruitutis,carnis & peccati. Iugum CHRISTI iugum libertatis,ſpiritus & gratiæ. O q̃ hoc leue,quàm illud graue. Deponantur ergo illa onera, & accipiantur mandata domini, quia leuia & ſuauia. Mandata domini ſunt: ut ex dono ſuæ fidei & gratiæ mites ſimus & humiles corde,ut diligamus. Hæc'ne grauia? Benignitas è cœlo infuſa,cui grauia

Matth.11.

est? Humilitas corde cui onerosa? Vera dilectio cui insuauis? Qui hæc habet, obseruat dei mandata, & nõ tam ipse quàm gratia in eo efficax, quàm gratia quæ in eo est. Et hæc habere, est dei mandata custodire, & uera dei charitas. Et nemo nõ habet, nisi qui non plena fide ac fiducia uenit ad CHRISTVM. Venite, inquit, ad me, & ego reficiam uos. Et qui sic uenit ad CHRISTVM, ex deo natus est, & est mundo superior: & deposito iugo seruitutis carnis & peccati, iugo mundi & sarcinis eius, in deo est uictor. Ob quod subdit Ioannes:

77. Quoniam omne quod natum est ex deo, uincit mundum. Et hæc est uictoria quæ uincit mundum, fides nostra.] Sicut oriente sole discutiuntur, euincuntur & euanescunt tenebræ: sic plena in CHRISTO fide in cordibus nostris exorta, uincitur mundus, caro, peccatũ: spes enim ea calcat, ut in quibus nihil fidit: & charitas omnes concupiscẽtias carnis exurit. Et nullus alius uincit mundum, nisi qui fide uenit ad CHRISTVM. Et qui ante aduentum eius uicerunt, ut patriarchæ, ut prophetæ, & qui in lege sancte conuersati sunt, in prælibatione, illustratione, aut in uictoria fidei eius uicerunt. Patriarchæ prælibauerũt, prophetæ illustrati luce CHRISTI, & sine reprehensione in ueteri lege conuersantes: in umbra fidei CHRISTI mundum uicerunt: siquidem lex uetus, umbra nouæ: & fides fidei. Et imperfecte quidem uicerunt, si ad eos conferamus qui in luce & ueritate uicerũt: quæ est aperta & denudata per spiritum dei fides CHRISTI. Hinc ait Ioannes: 81. 82.

78. Quis est autem qui uincit mundũ, nisi qui credit quoniã IESVS est filius dei?] Qui credit fide uiua & perfecta IESVM esse filium dei, & reliqua quæ de eo sunt credenda: hic perfecte uincit mundum magis quàm patriarchæ, quàm prophetæ, & quàm quicunq; aduentum eius præuenientes, ipsum non uenisse uiderunt, etsi uenturum fide uiderunt: sed hanc sibi uictoriam non tribuat, uerum fidei. Nam fides quæ ei desuper data est uincit, non ipse. Hæc est uictoria nostra, & deus suo munere in nobis uincit, ut ipsi soli tribuatur gloria, & contemplatione solius bonitatis eius, colliquescat omnis fidelium anima. Sed sunt nonnulla alia credenda, & ad hanc longe uictoriosam fidem spectantia, quæ subnectit Ioannes: 83.

79. Hic est qui uenit per aquam & sanguinem IESVS CHRISTVS. Nõ in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Et spiritus est qui testificatur quoniã CHRISTVS est ueritas.] Non solum debemus credere quod IESVS est filius dei, sed et quod est uere homo, uere baptizatus in ueritatem nostri baptismatis & nostræ regenerationis: & hoc est ipsum uenisse per aquam. Et quod uere passus & mortuus in remissionem peccatorum nostrorum: & hoc est ipsum uenisse per sanguinẽ. Credimus ergo IESVM CHRISTVM filiũ dei, credimus unum baptisma eius, credimus peccatorum remissionẽ in sanguine eius. Et spiritus sanctus de cœlo missus testatur. Et quid testatur? Quod CHRISTVS est ueritas: siue ut Græce ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια, quoniã spiritus est ueritas, ac si dicamus: Spiritus est qui hæc de CHRISTO testificatur, ergo recipienda, quia spiritus est ueritas. Et adhuc quod IESVS sit deus dei filius: & pater, & ipse, & spiritus sanctus in cœlo sunt testes. Et quod sit homo testificanꝫ super terram, baptismus eius, mors sanguinisq; pro nobis effusio, & spiritus quem moriens commendauit in manus patris eius, dicens: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc subdit Ioannes, dicens: 84.

80. Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo: pater, uerbum, & spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres unum sunt.] Hi tres, pater, uerbũ, & spiritus sanctus, sunt unum essentia & natura, & insuper unũ, uere diuinitatis testificatione, id est, unum testimonium. Sic spiritus è moriente ad claustra inferni emissus, & aqua, & sanguis

sanguis unum sunt testificatione, quod uere est homo: & unum, siue ut Græcus habet ὑσπρὲν, ad unum, id est, unum ad eandem rem, ad idem testimoniũ, non unũ essentia ac natura. Et nõ solũ pater de filio suo testis est in cœlo: sed & de eo quod filius eius sit, testatus est super terram. Quod subiungit Ioannes dicens:

81 » Si testimonium hominum accipimus, testimonium dei maius est: quoniã hoc » est testimonium dei quod maius est: quoniam testificatus est de filio suo.] Scriptum est in lege testimonium hominum esse recipiendũ: tanto magis & testimonium dei recipiendum est, quandoquidem maius est hominum testimonio: imò tantum, quo nullum maius esse potest. At testimonium dei supra terram, quod Iesus filius dei sit, sæpius est acceptum, ut in baptismate à Ioãne testatus est, spiritu sancto immanente & requiescente super eum, & in transfiguratione, & aliâs. Est ergo testimonium dei, Iesum esse filium dei. Quapropter qui credit in filium dei, recipit testimonium dei in seipso. Qui non credit, non credit testimonium dei, nihilo pluris ipsum faciens atq; mendacium. O infanda cæcitas, & horrenda, & nimium execranda infidelitas. Quod subiungit Joannes, dicens:

82 » Qui credit in filium dei, habet testimonium dei in se. Qui non credit filio, men » dacem facit eum, quia nõ credit in testimonium quod testificatus est deus de filio suo.] Si homo homini quicq; testificatur, hic illius recipit testimonium, si eum ueracem putat, sin reiicit, perinde atq; mendacem habet, & quod testatur tanquã mendacium: & hoc est ipsum mendacem facere, eius testimonium non recipere, & pro mendacio ducere. Sic est cum quis testimonium dei recipit aut reiicit: qui recipit, habet deum tanquam ueracem, qui reiicit, tanquam mendacem: nimirum deo blasphemus qui mendax esse non potest. Et nõ solum testatus est deus Iesum esse filium dei: sed & ipse per filium, quod qui audit filium, & in se credit, habet uitam æternam. Inquit enim: Amen amen dico uobis, quia qui uerbum meũ audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam. Hoc testimonium subdit Ioannes, dicens: *Ioan. 5.*

83 » Et hoc est testimonium, quoniam uitam æternam dedit nobis deus, & hæc uita in filio eius est.] Hanc uitam æternam dat nobis pater, sed non simpliciter nobis, ne quis sibiipsi merito suo & dignitati suæ id adscribat, sed in filio: tanta est enim dilectione & dignitate filius apud patrem, ut quicquid est illi in altera natura rum simile ad ipsum ueniens, simili uita uelit uiuere, qua ipse uiuit. Sed ipse solus in semetipso, cætera uero nõ in semetipsis & propter se ipsa, sed in ipso, et propter ipsum. Sicut, inquit, pater habet uitam in semetipso, sic dedit & filio habere uitam in semetipso. Ipse solum uiuit propter patrem. Sicut, inquit, misit me uiuẽs pater, & ego uiuo propter patrem. Nos uero non solum propter patrem, sed & propter ipsum, estq; mediũ quo à patre nanciscimur tam admirabile donũ, quod est super omne donum & excedẽs omne bonum. Neq; quisquam hac uita uiuere potest in patre, nisi hanc uiuat in filio & per filium. Et ideo subnectit Ioannes: *Ibidem.* *Ioan. 6.*

84 Qui habet filium dei, habet uitam. Qui non habet filium dei, uitam non ha » bet.] Qui habet, id est, qui credit in filium, habet uitam æternã. Et ex opposito, qui non habet filium dei, non habet uitam æternam. Ante incarnationem filij dei nemo hominum potuit hac uita uiuere, quia in filio incarnato hoc munus hominibus datũ est, ut illius uitæ possent esse capaces: neq; in alio homine, etiãsi nunq; homo peccasset. Nam nullus habet uitam in semetipso ut pater, nisi idem sit filius dei. Quare si homo ad uitam æternam creatus fuit (fuit etenim, & etiã multo magis si non peccasset quàm cum peccauit) filius dei incarnandus erat: sine quo uita æterna haberi non potuisset. Hæc est iuxta Paulum sapiẽtia quæ abscondita est, quam prædestinauit deus ante secula in gloriam nostrã. Et rursus ad Timotheũ *1. Corinth. 2.* *2. Timoth. 1.*

dicit hanc esse gratiam quæ data est nobis in CHRISTO IESV ante tempora se
cularia: manifestatã autem nunc per illuminationẽ saluatoris nostri Iesu Christi.
Titum 1. Et ad Titum, hanc dicit spem uitæ æternæ quam promisit qui non mentitur deus
ante tempora secularia: manifestauit autem temporibus suis uerbũ suum. Et mul
ta id genus in sacris literis. Magnificemus ergo solam illius diuinæ bonitatis im
mensitatem, qui nos ad uitam æternam creauit, et qui nostram naturam tantum in
filio suo incarnando dilexit, ut ne ob nostram quidem lepra eam abhorruerit, neq; 88.
ab incarnationis proposito destiterit, natura quidẽ nostra primum pura, & sine le
pra in uirgine dei matre reperta, quæ primum impura & leprosa fuerat in prima
Eua uirgine, tandẽ tamen in futura omnium hominũ parente. Primũ dico pura in
uirgine, unde tabernaculum fieret filio dei, per quem sanaremur, & sanati uitam,
ad quam ante peccatum creati fueramus, adipisceremur. Per peccatum nõ solum
omnia dura, aduersa, & plus quàm dura patiuntur homines: sed ob ipsum, eadem
Psal. 44. filium dei pati oportuit, & eundem qui solus erat speciosus forma præ filijs homi
Esa. 53. num, solus sine macula, ut leprosum uideri. Ecce inquit propheta, nos reputaui
mus eum quasi leprosum & percussum à deo & humiliatum. Et hoc ut pater mise
ricordiarum in miseratione filij sui, miseraretur nos leprosos: quales nos miseros
fecerat ipsum miseria miserius peccatum. O solus nobis necessarius dei filius. O
nostra in eo solo sola felicitas. Absit ut diabolo aut semini eius quod est peccatũ:
necessitatem aut felicitatem ullam tribuamus, aut ullam aduentus filij dei ad dan
dam hominibus uitam æternam esse causam. Quod non est, substistentiamq; non
habet: quomodo causa substistentiæ esse potest? Sed id totum (ut par est) dei filio,
quia ab eo solo, propter ipsum & in ipso solo habemus redemptionem, à lepra cu
rationem, & à morte peccato illata uitã æternam quæ nostræ creationis finis erat. 89.
Et ut huius tanti beneficij quæ uita æterna est in solo filio dei, conscij simus & me
mores: ad eos, id est ad fideles ad finẽ usq; mundi scribere se Ioãnes dicit, subdẽs:

85 „ Hæc scribo uobis, ut sciatis quoniam uitam habetis æternã, qui creditis in no
„ mine filij dei.] Vt incarnatio filij dei necessaria fuit ad finem creationis mundi,
ita fides, id est à spiritu dei infusa credulitas in filium dei necessaria: quia sicut uita
æterna non datur nobis in patre, nisi mediante filio: sic uita æterna non datur in
filio nisi mediante spiritu suo, id est sine fide. Si non habes uitam in filio, nõ habes
in patre. Si non credis in filium, non habes uitam in filio. Et qui habet uitam in fi
lio, prorsus ad patrem accessum habet, ob quod certam & omnino indubitatam
habet fiduciam. Quod subiungit Ioannes, dicens:

86 „ Et hæc est fiducia quam habemus ad deum: quia quodcunq; petierimus secun
„ dum uoluntatem eius, audit nos.] Fiducia quam habemus ad patrem est certa
& indubitata quod audit nos secundum uoluntatem filij: & quicquid petimus ab
eo, uult pater si uult filius, ne tribuamus uoluntati nostræ, quod sapientiam, quod
illuminationem, quod omnem gratiam quam petimus habemus à deo, sed uolun
tati benedicti filij eius, ut omnes glorificemus filium sicut & patrem, & illi in om
nibus gloria & gratiarumactio tribuatur sicut & patri. Verũ fideles ipsi qui uere
tales sunt & spirituales, quũ quicquam petunt: non tam ipsi, quàm spiritus qui uo
luntatem dei nouit petit in eis. Et ideo quicquid petũt, semper petunt secundum
uoluntatem eius. Et ne diffidamus uerè credentes in filium, patrem audire, & pe
titiones eorum exaudire, addit Ioannes:

87 „ Et scimus quia audit nos quicquid petierimus. Scimus quoniam habemus pe
„ titiones quas postulamus ab eo.] Et nõ solum audit: sed postulata accipimus ab
Ioan. 14. eo per filium, quæcunq; accipimus. Et quodcunq; inquit, petieritis patrem in no
mine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater in filio. Dat igitũ filius quæ accepimus

à patre,

à patre: & si quid accipimus à patre, hoc est per filium. Ideo qui non credit in nomine filij dei, nullum magnificum donum à patre accipit, quia illud non dat, nisi per filium, & etiam dante filio. Et dat exemplum Ioannes, ut si quis expiabilē incurrat offensam, & ipse aut frater eius eam forte melius agnoscens, quàm ille qui admisit, petat à patre in nomine filij eius remitti: id donat pater filio, & remittit illam filius. Quod & ait Ioannes, dicens:

88. Qui scit tratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei uita, peccanti non ad mortem.] Multa sunt in quibus ob impotētiam humanāq; fragilitatem peccant homines, ut id forte quod Corinthius peccauit in nouercā: & multa in quibus peccant per ignorantiam, ut quod Paulus blasphemabat & persequebatur ecclesiam. Et qui illo modo peccant, quū resipiscūt, & ipsi aut fratres eorum, in fide & spiritu CHRISTI condonari petunt, remittitur eis, ut Corinthio, in quem petit Paulus post offensæ condonationem, charitatē confirmari, & ipse de se ait: Misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Sunt etiam qui peccant peccatum ad mortem, qui nunquam resipiscūt, qui non ex impotentia, non ex ignorantia, sed ex obstinata & indurata malitia peccant, ut scribæ & pharisæi qui uidebant opera dei in CHRISTO, & mallebant illa adscribere per inueteratam malitiam, odium, & inuidiam diabolo quàm deo, dicentes de eo: In principe dæmoniorum eijcit dæmonia: & pro talibus, non uult spiritus CHRISTI à deo quicquam esse petendū. Nam qui taliter peccant, in spiritum sanctum peccant per certam & affectatam malitiā. De quo dicitur: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autē blasphemia non remittetur. De quo subdit Ioannes, dicens: *1. Corin. 5. Act. 8. 2. Corin. 2. 1. Timo. 1. Marci 3. Matth. 12.*

89. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.] Vt non omnes morbi sunt ad mortem, sed omnes aut ad infirmitatem aut ad mortem: qui ijs qui ad infirmitatem duntaxat laborant, hi aut propria aut aliorum adhibita cura conualescunt: at patientes qui neq; uolunt propria diligentia, neq; aliena cura leuari morbo iam inueterato, & in consuetudinem uerso nunquam curantē, sed est morbus ad mortem. Sic est de peccatis quæ non sunt cōtra spiritum sanctum, & quæ sunt in spiritum sanctum. Et ut morbis qui sunt ad infirmitatē, id est qui sunt medicabiles, plericq; moriuntur nō adhibita cura: sic peccatis quæ nō sunt ad mortē, immedicabilibus autem aut ipsis, aut cum ipsis moriuntur: sic inexpiabilibus peccatis. Sed ut qui curabili morbo laborant, plerumq; multa molesta, medici ordinatione ferenda sunt: sic & plerunq; de peccatis non ad mortē. Verum quia quæ molestiæ, & quæ afflictiones iuxta diuinam uoluntatem ad carnis mortificationem perferre debeant qui peccauerunt, sed expiari possunt, ignorant: ij qui sunt ministri orationis aut reconciliationis, si quid supereſt, diuinæ relinquunt pietati. Et proinde qui se sic aliquando peccasse sunt conscij, & uere resipiscentes adorationis opem & reconciliationis gratiam uenerunt: quicquid eis molestū euenit, siue morbus, siue agrorum infertilitas, siue facultatum iactura, siue liberorū orbatio, siue iniuriæ & contumeliæ, & quicquid aliud aduersum fuerit, tolerare debent patienter, tanquam pœnæ illæ ex manu dei sint, & illis necessariæ ad spiritualiorem uitam, & gratias agere sapientissimo medico, qui nouit omnium modorū & temporū medelas. Omnia aduersa & ipsi & iusti fideles delectabiliter in patiētia portant ad crucem carnis & mortificationem, ne qua praua radix sursum germinet: sic cœlestis agricola palmites in CHRISTO fructum ferentes purgat, ut fructus plus adferant. Sic Dauid ex adulterio Bathsabæ purgatus est: molestissima perferens (etsi peccatum illi translatum esset & dimissum) & filij orbationem, & coniugum oppressionem, coronæ humiliationē, & à proprio filio fugitiuus persequu- *Ioan. 15. 2. Reg. 11.*

tionem: ſic nouit deus in ſuis carnẽ domare, ut ſpiritui magis ſubijciatur. At qui peccant ad mortem, hi & medicum contemnunt, & ad iuſtificationes non confugiunt, & quæ alij patienter, moleſta non perferunt, & ſi quid agunt, non in fide et charitate quæ ſurſum ſolum ſuum ſcopum habent, ſed aut amore ſui aut timore pœnæ, quem & plerunq; ob obſtinatam infidelitatem prorſus extinguunt & deponunt. Et hi ſunt maxime qui peccant peccatum, quod ad mortem dicitur peccatum. Ideo de talibus probe dixit Ioannes: Non dico ut pro illo ſcilicet peccato oret quis, roget quis, petat quis ut dimittatur, quod idem eſt. At quia tale peccatũ ſpiritui contra quem fit notum eſt, hominibus autem ignotum niſi ſpiritu reuelante: ideo fideles pro omnibus peccatoribus etiam ad mortem peccãtibus orare debent, ut diuina pietas adducat eos ad ſuæ uiuificationis gratiam, non tam peccatum quàm naturam attendendo: nam pro peccato ad mortẽ rogare, ut ſic peccanti dimittatur, hæc ſtulta & uana petitio. Sed quod non omne peccatũ quod eſt legis mandatiq; tranſgreſſio, ſit peccatum ad mortem, docet Ioannes, dicens: 93

90 » Omnis iniquitas peccatum eſt, & eſt peccatum ad mortem.] Idem eſſe intelligatur ſiue dicamus omnis iniuſtitia peccatum eſt, quod magis Græce ἀνομία deſignare uidetur, ſiue omnis iniquitas peccatum eſt: quia hic iniuſtitia et iniquitas, eſt diuinæ legis tranſgreſſio: & omnis talis tranſgreſſio, peccatum eſt. Verum nõ omne tale eſt ad mortem, id eſt inexpiabile et immedicabile, quia deus miſericors
Eſa. 55. eſt, & multus ad ignoſcendum, ſi derelicta uia mala, ij qui peccauerunt ad ipſum in toto corde, plena fide atq; fiducia reuertantur, quos & adiuuat perſæpe lachry-
Luce 7. mis, tribulatione ſpiritus, & intime cor diſcindente dolore, ut euangelicam pec-
Pſal. 50. catricem, quæ deus pro ſacrificio ſuſcipit, ſicut ſcriptum eſt: Sacrificium deo, ſpiritus contribulatus. Eſt & talium quoddam ad mortem, quod nunquam expiat, 94
cui nunquam quis medetur, & eſt eorum, qui (ut dictũ eſt) obſtinata malicia peccant, & qui in reprobum ſenſum dati ſunt, non ſe humiliantes, nunquã reuertentes. Hos deſerit cœleſtis medicus, cui quodcunq; curare uult, nullum eſt immedicabile peccatum, nullum inexpiabile. Quod autem ſecreto ſuo ſancto & iuſto iudicio non uult, eſt inexpiabile, ut omnes illi ſummæ & iuſtæ potentiæ ſe humilient. Et hæc de peccantibus tam qui reſurgunt ad gratiam & ſpiritum, quàm qui non reſurgunt, ſed cum carne moriuntur. Illi partim carnales, ſed deſinunt in ſpiritum: hi autem omnino carnales, aut deſinentes morientesq; in carne. Nunc de omnino ſpiritualibus ſubdit Ioannes, dicens:

91 » Scimus quoniam omnis qui natus eſt ex deo, nõ peccat, ſed generatio dei conſeruat eum, & malignus non tanget eum.] Non ſibi tribuat homo qui natus eſt ex deo, ſi non peccat: quia hoc ſuum non eſt, ſed eſt diuina generatio, munusq; diuinum, fides & ſpiritus qui conſeruat eum, & qui maligni arcet poteſtatẽ, ne tangat eum, ne uincat eum, inducatue ad peccandum. Quantum eſt ex ſe, maxime ſi externum hominẽ attendis, ſemper peccare poteſt: quia ex ſe non habet niſi primam generationem: cui iugiter malignus inſidiatur haud ſecus ac ſerpens Euæ, multiplicibus gyris ſe circumuoluens, niſi iugiter protegitur. Secus eſt ſi interni reſpicis hominem, qui totus ex deo eſt & noua creatio: qui ut huiuſmodi, peccare non poteſt: nam ſpiritu agitur, ſpiritus enim eſt qui agit. Sic hi in quibus internus homo externum obtinet, & nouus ueterem: ſecundum ſecundam generationem incedunt, nunquam aſpectu generationis autorem relinquentes, qui eſt aſpectus fidei, ſine quo nemo poteſt eum ſequi, nemo poteſt eum imitari, quales erant apoſtoli, & ij qui ſolis eorum accepto ſpiritu fidei, inſiſtebant ueſtigijs. Quod & Ioannes nobis inſinuat, dicens:

92 » Scimus quoniã ex deo ſumus, & mundus totus in maligno poſitus eſt.] Qui perfecte

perfecte ſpirituales ſunt, in mirabili ſunt luce, & cognoſcunt ſe filios dei quia filij lucis ſunt, cognoſcuntq; ſe ex deo eſſe. Ex quo enim eſſent filij, niſi ex patre? Et inſuper uidēt mundi tenebras: nam & quō modo ipſi ſunt in deo & luce dei, ſic & totus mundus & omnes mundani ſunt in maligno & in tenebris diaboli. Et proinde & mundum horrent, & mundi tenebras, & eum inſuper unde tantæ mundo incubāt tenebræ, qui eſt tenebrarum princeps. Sed unde ipſis euenit, ut ſic ipſi & ea quæ ex deo ſunt, & mundum & occupationem eius à maligno cognoſcant? Nónne à ſeipſis id habēt? nónne ſuo ſenſu? Minime. A quo nam igitur? A deo, ut & ſoli deo ex hoc indulto munere laus et gratiarum actio debeat. Idcirco ſubiungit Ioannes, dicens:

93 Et ſcimus quoniam filius dei uenit, & dedit nobis ſenſum ut cognoſcamus uerum deum, & ſimus in uero filio eius: hic eſt uerus deus, & uita æterna.] Hic ſenſus, hæc mens quam dedit filius dei poſtquàm uenit in mundum, & conſcēdit ad patrem, ſpiritus ſanctus eſt: ut hoc ſenſu, non ſenſu carnis, non ſenſu animæ, id eſt rationis, ne ſuprema quidem portione quæ mens humana dicitur, ſed ſpiritu ſancto mentem illam ſupra mentem eleuante: uerum deum qui eſt pater æternus, fideles cognoſcerēt, & fixi ſtabilesq; manerent in uero deo qui eſt uerus filius eius, & uita æterna, quæ omnia per ſpiritum eius, qui etiam uerus deus eſt cognoſcūt. Hic eſt uerus deus pater, filius ſpiritus ſanctus: cui honor & gloria in ſeculorū ſecula. Quum igitur uerum deum cognoſcamus, patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum: attēdamus diligenter ne aliud quicquam colamus quàm uerum deum. Ad quod faciendum maxime hortatur ab omni idolo, id eſt ſimulachro abſtinendū. Quod ſubnectit hoc pacto:

94 Filioli, cuſtodite uos à ſimulachris.] Auarus, ſimulachrū habet diuitias, quas pro deo colit. Ambitioſus: honorem, & uanum quidem mundi honorem. Intemperans, uentrem & cœnoſas uentris uoluptates. Superſtitioſi, ſimulachra aurum & argentum opera manuum hominum, quæ os habent & non loquentur, oculos habent & non uidebunt: quæ omnia per apoſtolum ſpiritus hic prohibere uidet, tam quæ tunc à gentilibus, aut domi, aut foris, aut in phanis, delubris, lucis aut uſquam alibi colebantur, quàm quæ in futurum declinante fide ritu gentium coli potuiſſent. Hac prohibitoria adhortatione uetat Ioannes coli quicquid non eſt deus, cui nullum poni poteſt ſimulachrum. Cui me aſſimilaſtis & adæquaſtis, dixit ſanctus? quia eius nulla ſit ſimilitudo, nulla icon. Et ſcriptum eſt: Dominum deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies, id eſt, illum ſolum coles. Sed dices: Arcā teſtamenti habebant olim in materiali templo ante quam colebant. Et nos habemus corpus domini arcam teſtamenti noui in templis materialibus. Eſto. Illis arca ſignum erat præſentis diuinitatis: & ipſi nō ſignum, ſed quod præſens ſigno indicabatur adorabant. Sic ſacramentum corporis, ſic arca teſtamēti noui, ſignū eſt præſentis qui nuſquam non adeſt CHRISTI. Hic ergo ante ſignum totum cor effunde ad deum, non ſignum, ſed eum qui præſens eſt & ubiq; adorans CHRISTVM. Illi ut pro ueritate abuſi ſunt ſigno, arca priuati ſunt. Nos autem ſcimus nos hoc ſigno non priuandos: mortem domini annunciātes donec ueniat. Ad hoc enim ipſum inſtituit dominus, ut in memoriam redemptionis noſtræ ſumētes, illi uniremur, unumq; corpus eius efficeremur. Hoc, inquit, facite in meam commemorationem, de ſanctæ & teſtamentariæ cœnæ myſtica inſtitutione loquens. Et quanquam ſpiritualium uera templa, ſpiritualia ſunt, uos enim templum eſtis dei uiui, ſicut dicit dominus. Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos. CHRISTO tamen materialia templa ob id ipſum deeſſe non debent, ut illuc fideles conueniant, uerbum ibi audiant, cœnā domini manducent, id eſt ſancte con-

Pſal. 113. Eſa. 40. Deut. 6. Luce 22. 2. Cor. 6.

municent, memores testamenti ueriſſimæ promiſſionis, remiſſionis peccatorum uere fidelibus in oblatione CHRISTI, qui ſolus erat agnus dei, qui ſolus tulit peccata mundi, ubi adorēt ſalutis totius mundi autorem, ſed multo magis in templo
Act. 3. ſpirituali, perinde ac ſi nō ſint in materiali: quomodo Petrus & Ioannes aſcendentes in templum ad horam orationis nonam, adorabant deum. Quis enim dubitet
Ioan. 4. eos fuiſſe de numero eorū de quibus dominus dicit: Venit hora & nunc eſt, quando ueri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & ueritate. Et hoc fit cum non in templis materialibus, non in Garizin, nō in Hieruſalem, ſed in templo ſpirituali, in CHRISTO & ſpiritu ſancto colitur, non ad ſignum, ſed ad ueritatem. Hic eſt perfectorum cultus in ſpiritu & ueritate & uerè fideliū. Multo enim melius deus & CHRISTVS ſpiritu colitur, quàm ſimulachro: etſi habeāt uenerabile inter etiā omnia ſigna, memoriæ redemptionis ſignum. At multa mundi ignorātia, & deus dei ſcientia colitur, & ipſius ignorantia offenditur. Ergo Ioannis dilecti dei diſcipuli, apoſtoli & euangeliſtæ bonum & ſalutare nobis, per ſpiritum dei uentura proſpicientem, qui neq; coartatur temporibus, neq; anguſtiatur locis, præceptū annunciantis ſequentes, caueamus nobis ab idololatria tam in uitæ cōuerſatione, quæ ſunt auaricia, ſpurca carnis uoluptas, & ambitioſus honor, etſi quid ſimile, quàm in diuino cultu: & ſimus unius & ſolius ueri dei cultores, ueri adoratores, adorantes patrem in ſpiritu & ueritate. Cui honor, gloria, & gratiarum actio per filium & cum filio, in ſpiritu ſancto in omne æuum & ſuper omne æuum, in ſecula ſeculorum. Amen.

COMMENTARII IN PRIMAM
Ioannis epiſtolam, finis.

BEATI IOANNIS
APOSTOLI EPISTOLA SECVNDA.

ANNOT.

1 SENIOR, electæ dominæ, & [natis] eius, quos ego diligo in ueritate, & non ego ſolus, ſed & omnes qui cognouerunt ueritatem, propter ueritatē quæ permanet [in uobis, & uobiſcum] erit in æternum. Sit uobiſcum gratia, miſericordia, pax à deo patre, & à CHRISTO IESV filio patris in ueritate &
2 charitate. Gauiſus ſum ualde quoniam inueni de filijs tuis ambulantes in ueritate, ſicut [mandatum]
3 accepimus à patre. Et nunc rogo te domina, non tanquam mandatum nouum ſcribens tibi, ſed quod habuimus ab initio: ut diligamus
4 [alterutrū.] Et hæc eſt charitas, ut ambulemus ſecundū [mandata] eius. Hoc enim eſt mandatū, ut quemadmodum audiſtis ab initio, [in eo] ambuletis

filijs, liberis, τέκνοις.

in nobis, & nobiſcum, ἐν ἡμῖν, καὶ] μεθ' ἡμῶν.

mandatum, præceptum, ἐντολήν, & infra.

inuicem, ἀλλήλους.

mandatum, præceptum, τὴν ἐντολήν.

in eo, ſcilicet mandato, ἐν αὐτῇ.

5 buletis. Quoniam multi seductores [exierũt] in mundũ, qui non confitentur IESVM CHRISTVM uenisse in carnem. Hic est seductor & 6 antichristus. Videte uosmetipsos [ne perdatis quæ operati estis:] sed ut mercedem plenam [ac- 7 cipiatis.] Omnis qui [recedit,] & non permanet in doctrina CHRISTI, deum nõ habet. Qui permanet in doctrina, hic patrem & filiũ habet. 8 Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinã non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, communicat ope- 9 ribus eius malignis. ► Ecce prædixi uobis, 10 ut in die domini non confundamini. Plura habens uobis scribere, nolui per chartã & atramentum. Spero enim me [futurum] apud uos, & os ad os [loqui,] ut gaudium uestrum plenum sit. 11 Salutant te filij sororis tuæ electæ.

introierunt, εἰσῆλθον.

ne perdamus quæ operati sumus, μὴ ἀπολέσωμεν ἃ εἰργασάμεθα. *accipiamus*, ἀπολάβωμεν. *transgreditur, præterit*, παραβαίνων.

uenturum, ἐλθεῖν.

loquuturũ, λαλῆσαι.

COMMENT. IN II. EPIST. IOANNIS.

HAEC epistola Ioannis, pariter & sequens, priuatã continent ac particularem exhortationem. Prima autem publicam & uniuersalem: & proinde unica meritò dicit καθολικὴ Ioannis. Et se presbyteron, id est seniorem appellat. Nec hic disputemus an alius fuerit apud Asianos Ioannes presbyter, alius Ioannes apostolus. Et hæc nomenclatura senior maxime conuenit apostolis, per id sacræ apocalypseos: καὶ κδ. πρεσβύτεροι ἐνώπιον τοῦ θεοῦ καθήμενοι, & uiginti quatuor seniores qui in conspectu dei sedẽt: per quod peculiariter intelliguntur duodecim apostoli, quos dominus promiserat sessuros supra sedes duodecim secum iudicaturos duodecim tribus Israël, cum duodecim prophetis qui insignius de CHRISTO scripsere. Quid si etiam cum apostolis sessuri sunt tanquã scribæ, & in diuino iudicio synedrij? Hæc igitur nuncupatio Senior, maxime Ioanni apostolo consentanea est, tum ratione ætatis, tum apostolatus, tum diuini mysterij. Sed & proprium nomen pro more suo hic subticuit: quod in apocalypsi spiritus ordinatione expressit. Id eñ eum facere oportebat: quũ spiritus illi imperans dicebat: Quod uides scribe in libro, & mitte septem ecclesijs. Et quæ alia spiritus iubentis intentio? Mulieris etiam ad quam scribit proprium nomen, ut & suum, suppressit: & tantum autoritatis nomen expressit. Nam magna in seculo fuisse autoritate per id κυρία, domina intelligitur. Ad quam & filios eius sic sanctam exordiur salutationem:

Apo. 4.

Matth. 19.

Apo. 1.

1 » Senior, electæ dominæ & natis eius, quos ego diligo in ueritate: & non ego
» solus, sed & omnes qui cognouerũt ueritatem, propter ueritatem quæ permanet
in uobis, & uobiscum erit in æternum. Sit uobiscum gratia, misericordia, & pax
à deo patre, & à CHRISTO IESV filio patris in ueritate & charitate,] Electam
dicit eam, quia diuina electione regno uitæ ascita fuit: & quisquis consortio sanctorum aggregatur, diuina electio est, nam aggregati uolũtatis electio. Et quod
Petrus, Andreas, Ioannes, & reliqui apostoli, apostoli fuerunt: hoc diuina electio
fuit, non ipsorum. Non uos, inquit, me elegistis, sed ego elegi uos. Vt non uolun

Ioan. 15.

tati noſtræ in diuinis perfectionibus aliquid tribuatur, ſed glorificet in omnibus illa infinite bona dei uoluntas diuinaq; electio, quæ eſt omnis boni ratio, nõ creata uoluntas. Quocirca cum dicit electæ, maius aliquid dicit nulla etiam proportione, quàm quũ dominæ. Hoc humanum, illud diuinũ. Quæ enim ratio humani ad diuinum? Et cum ait: Quos ego diligo in ueritate, exprimit ſe dominam & natos eius diligere, ſed uera dilectione, quæ eſt non mundana, non humana, ſed alta, diuina & perfecta in fide & ſpiritu. Et nõ ſolum ipſe ea perfecte diligebat eos: ſed & omnes qui cognouerũt ueritatem quæ eſt CHRISTVS dominus, qui uia, ue-
Ioan. 14. ritas eſt & uita: quod eſſe non poteſt, niſi per fidem & euangelicam ueritatem. Et non abs re quidem diligebat: quia ea ueritas CHRISTVS ſcilicet & uerbum eius quam cognoſcebant, ſummeq; amabant, manebat in eis, eratq; in perpetuũ manſura. Hoc enim habet diuina charitas, ut ad omnes ſpiritu ſe fundat etiam nunquã ſenſu notos, etiam ad eos qui nondum gregi ſaluandorũ acciti ſunt, etiam ad inimicos, ut ipſi reſipiſcẽtes, in uera luce ſpiritus eſſe poſſint. O quàm ingẽs, quàm magna charitas quam CHRISTVS uere fideliũ pectoribus accendit, quàm parua nunc ſentiunt mortalium corda, quam dignetur breui per ſanctum uerbum ſuum et euangelicam fidem ſuſcitare. Nihil igitur mirum ſi ſancta illa mulier quæ ob euangelij ueritatem, & ſpiritum CHRISTI cordi eius infuſum & CHRISTI fidem, ſic ab apoſtolo, & maxime omnium diuinorum ſecretorum conſcio euangeliſta diligebatur, quam etiam cæteri omnes eundem fidei ſpiritum habentes, ſimili dilectione proſequerentur. Qui enim uere chriſtianus eſt, non ſolũ ſuæ gentis chriſtianos dilectione proſequitur: ſed & Indos & Aethiopas, & Aſianos, & Aphros, & qui inſulas habitant ſeparatas, & qui terras ſub occiduo tot ſeculis ad tempora noſtra incognitas, ſi uſquam ſint, eisq; optat eandem ſalutem quàm Ioannes ſanctæ fœminæ & natis eius, gratiam, miſericordiã, & pacem à deo patre, & à CHRISTO IESV filio patris, in ueritate & charitate, id eſt, à patre, & filio, & ſpiritu ſancto: ſiquidem ſpiritus charitatis eſt infuſor: filius ueritatis fideiq; autor, qui nobiſcum fecit miſericordiam, & patri per ipſum reconciliiati pacem habemus. Et hæc dona habemus à patre in filio, qui eſt ueritas, & in ſpiritu ſancto qui eſt charitas. Hæc dona non à nobis ſunt, ſed à deo patre. Gratia quidem, ut ſit in nobis operatrix, miſericordia uero, ut ſimus miſericordes. Et pax, ut ſimus pacifici filij dei. Et hæc donãtur in ueritate, ut ſimus in omnibus ueraces, ueritatem ipſam quæ eſt filius dei imitantes. Et in charitate, ut ſimus in charitate & dilectione dei ad deum adinuicẽ & ad omnes feruẽtes. Nullæ his tribus donis, nõ æquari modo, ſed ne comparari quidem poſſunt totius mundi diuitiæ. Sed ob quid hanc ſanctæ mulieri deſtinauerit Ioannes epiſtolam aperit, dicens:

2 » Gauiſus ſum ualde quoniam inueni de filijs tuis ambulantes in ueritate: ſicut
» mandatum accepimus à patre.] Gaudium admodum ingens eſt diuinam fidem charitatemq; dei habentibus, ſi uiderint alios ſimili fide, charitateq; donatos erga eum quem ſummopere amant, & ſimili incedere ueritate, qui nihil aliud in uotis arctius habent, quàm illum amare, quem nunquam ſatis amare poſſunt, & eundẽ à cæteris amari qui nunquam ſatis poteſt amari, quandoquidẽ ille eſt omni amore ſuperior, omni excellentia eminentior, & omni bono melior. At quod amẽt, nihil illis curæ eſt, neq; uident ex ſe quidquã in ſe quod dignum ſit amore: ſed ſatis eſt illis amare, & in amore languere, magna eſt illis ſanitas, & amore mori dulciſſima uita. Et hic amor mundano contrarius eſt: ut diuina mundanis. Qui mundane amat, inuidet amantibus id ipſum quod amat: amore ſuo putat promereri amatum. Et etiam amplius quàm amare, illi cura eſt uel maxime, ut ab amato aut æque aut plus redametur. Languor in hoc amore, grauis eſt infirmitas: & ſi

mori

mori contingit, mors illis grauissima. Quæ omnia ueri amatores uident esse dementias: qui nulla ratione propter se, sed omnimodo propter amatum amant, qui non secundum hominem, sed supra hominem, non potentia carnis quæ nihil potest, sed potentiam spiritus qui nihil non potest, amant. Et quàm etiam insani, q̃ cæci essent: si peterẽt se ab eo redamari qui præamat omnia, & quorũ amor nihil aliud est, quàm præamantis redamatio, & amoris quo amat in suam originem resilitio, quæ ubicunq; adest, magnum amantibus affert gaudium qui ambulant in ueritate, ut mundani in falsitate: qui uersantur in sapientia, ut mundani in insania: qui exultant uera uoluptate, ut illi mœsto semper cruciantur angore. Veri amatores in ueritate ambulant, quia in fide ueritatis, in fide filij dei ambulant, quia sic amant, ut omnia iussa patris æterni quæ per filium & spiritum eius acceperunt, in charitate faciant, & iussa capescere illis leuissimum, facillimum, dulcissimum. Facit em̃ id amor, quia ipse pater & filius & spiritus eius sunt id quod amãt, & quod super se & super omnia amant: uires illis spiritu fidei præstante, quo illo ut membra CHRISTI uegetantur ac uiuũt. Vt ergo sancta domina ad quam scribit Ioannes, ignem illum uerorum amatorum desursum missum, semper mutuo amore foueat admonet: non quod propter id petat, tanquam sit redamari cupidus, sed ut impleatur CHRISTI qui summus est amatus mandatum, qui hoc ab initio, id est, quum adhuc cum discipulis uersaretur in mundo, præcepit. Sic igitur eam hortat̃ & obsecrat Ioannes:

3. Et nunc rogo te domina, non tanquam mandatum nouũ scrib̃s tibi, sed quod
» habuimus ab initio, ut diligamus alterutrũ.] Mandatum quod Ioannes & apostoli habuerũt ab initio, est hoc quod dominus sacro ore suo mandauit eis, dicẽs: Hoc est mandatum meum, ut diligatis inuicem sicut dilexi uos. Mandatum de dilectione tradidit deus ab initio legis antiquæ: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota fortitudine tua, & etiam ab initio nouæ legis est datum: sed hoc legis nouæ supra naturam, addit spiritum. Sicut inquit dilexi uos. Quis em̃ magis in plenitudine spiritus dilexit quàm CHRISTVS? Mandata legis antiquæ currebant secundum naturam, nam secundum literam: & ideo perfecte impleri non poterant, nisi si qui spiritum accepissent. Mandata aũt legis nouæ absorpta quidem à gratia natura, secundum diuinum indultum quod superat naturam currere debent, quod in CHRISTO post sanctũ eius in carne aduentum hominibus affatim distribuitur. Etenim etsi noua & uetera pleraq; prorsus eadem in cortice uideantur: noua tamen adijciunt spiritũ. Sed quo argumento potissimum cognoscet̃ hæc dilectio & hæc charitas? Sanè operis exhibitione quæ est mandatorum dei ad quem hæc tam diuina, tam potens, tam uiuifica gerit̃ charitas adimpletio. Ob quod subdit Ioannes: Ioan. 15. Deut. 6.

4. Et hæc est charitas, ut ambulemus secundum mandata eius. Hoc em̃ est man-
» datum, ut quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis.] In eo præcepto quod ab initio audierãt, ambulare debebant. Quod nam illud? Dilectio & charitas. In ea igitur charitate, quam à principio ipsi apostoli à domino audierant, & sancta illa domina & liberi eius à Ioanne: ambulare debebant per etiã reliqua domini mandata, id est per fidem charitate & dilectione omnia operantem. Etenim omnia sine charitate nihil sunt. Ex charitate filius dei ad nos descẽdit, & omnia ex charitate operatus est. Sic oportet nos charitate ad ipsum ascendere, & omnia mandata eius, & quæcũq; operamur in charitate & per charitatem operari. Hæc est libertas christiana, ut omnia per spiritũ libertatis filiorum dei per fidẽ & charitatem operemur, nihil seruorum quæ carnis sunt facientes, sed quæ dei & liberorum. Verum contra hanc sanctam euangelicamq; doctrinam ingressi erant in

mundum multi animarum seductores, quorum quidam dogmatizabant IESVM non esse CHRISTVM, & sic omnia mandata eius inficias ibant dei esse mandata. Alij fatebantur IESVM esse CHRISTVM, sed non uerè hominem factum, nõ ueram accepisse carnem, ueréue fuisse incarnatũ: & hi testimonia apostolorum et euangelistarum reijciebant, quæ sunt mandata dei. Ideo sanctam dominam & liberos eius præmunit, dicens:

5 » Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur IESVM CHRISTVM uenisse in carne: hic est seductor & antichristus.] Qui huiusmodi seductor est, spiritu erroris, qui serpens antiquus est, seductus, pariter & seducens eos qui ei auscultant, deo patri & CHRISTO filio eius est inimicus. Quod uocabulũ indicat antichristus: id est, contrarius aduersariusq; CHRISTO. Et ab huiusmodi summopere est cauendum, quod sanctæ mulieri innuit Ioannes, subdens:

6 » Videte uosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis: sed ut mercedem plenã accipiatis.] Quid est, Videte uosmetipsos: nisi, Attendite diligenter uobis ipsis, ne illi aliquo inficiant uos erroris sui ueneno? Si enim esses inter serpentes, quantumcunq; sanus esses, nónne studiose attenderes, ne quid aut in te, aut circa te instillarẽt uirus sui? Tanto magis illis attẽdendũ erat: alioqui apostolorũ labor circa eos irritus factus fuisset, & quæcunq; prius operati essent perdidissent, & misericordiæ dei mercedem quæ est uita æterna, tanto melior uita temporali, quanto æternum præstat caduco, lux tenebris, & uita hæc qua hic uiuimus, temporali morti. Ergo illis caute admodum inuigilandum erat aduersus illorum dogmata: ne fructum præcedentium bonorum fidei & spiritus operum perderent, sed plenam ad finem usq; in sanctis fidei operibus perstistentes, uitæ æternæ mercedem acciperent. Si enim transgrederentur, dogmata illorum sequentes, deum prorsus perdebant. Ideo subdit Ioannes, dicens:

7 » Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina CHRISTI, deum nõ habet. » Qui permanet in doctrina, hic patrem & filium habet.] Ii permanent in doctrina CHRISTI, qui nunquam transgrediuntur, nunquam ab ea deflectũt aut discedunt, sed ad finem usq;, id est uitæ huius terminum in ea persistunt, ad nullas alias attendentes doctrinas, quia multæ hominum sunt, multæ mundi, & multæ dæmoniorum. Sed illa unita CHRISTI & euangelica necessaria est, ut patrem & filium habeamus in nobis manentes, dicente domino: Si quis diligit me, sermonem meũ seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eũ faciemus. Humanæ sunt parui faciendæ, mundanæ fugiẽdæ: diabolicæ uero prorsus abijciendæ, abominandæ, damnandæ. De quibus subiungit Ioannes: Ioan. 14.

8 » Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis.] Si quis uenit ad nos, & non hanc affert doctrinam, id est, euangelicam, CHRISTI doctrinã, sed aliam, & multo magis si aduersantem, iubet sanctus dei apostolus nos tali hospitalitatis iura negare, in domũ nõ recipere, neq; ipsum salutationis uerbis quæ sunt beneuolentiæ & amicitiæ initia, dignũ æstimare. Nam cum rege nostro non est, aut illi ex aduerso contrarius & inimicus est, & sub principe tenebrarũ militans, qui est ex diametro regi cui militamus cõtrarius. Nónne enim si sub terreno rege esses, & alterius regis capitalis hostis ipsius homines in domũ tuam reciperes, & beneuolẽtia foueres, quum nihilominus cõtraria iussa, iussis regis tui afferrẽt ad tuam & aliorum seductionem, nónne inquam erga regẽ tuum id scientem reus læsæ maiestatis habereris? Sic & tu, si in domum tuam reciperes, si beneuolentia foueres tam apertum inimicum, apud deum cui nihil occultum

cultū est, reus agereris, & in nouissimo die ante deum & sanctos angelos eius & uniuersos bonos et malos, qui omnes illis tremendi iudicij tribunalibus adstabūt, hoc crimine cōfundereris. Propter qd' admonet eos, & nos in ipsis, sanctus euangelista Ioannes, ut omni opera nitamur, huiusmodi uitare confusionē dicens:

9 Ecce prædixi uobis, ut in die domini non confundamini.] Sicut magna gloria & honor erit electis coram omnibus in iudicio audire hanc uocem: Venite benedicti patris mei, possidete paratum uobis regnū à constitutione mundi, & tanta lætitia ut nequeat cogitari maior, sic magna confusio & ignominia tanta quæ etiam cogitari nequeat maior, erit reprobis coram omnibus audire istam: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Quam à nobis auertat benignitas CHRISTI, ut & optat pius & dilectus à deo apostolus. Qui etiam erga sanctam fœminam & fideles qui cum ipsa erant, se excusat de epistolæ breuitate, dicens: *Matth. 25.* *Ibidem.*

10 Plura habens uobis scribere, nolui per chartam & atramentū. Spero enim me futurum apud uos, & os ad os loqui, ut gaudium uestrum plenum sit.] Quidā, nescio quo autore, putant dominam hanc Babylonicam fuisse: ego crediderim Asiaticam, ea etiam ex parte quæ Græciæ uicina est, tum quod ad eam peculiariter Græce scribit, tum quod sors illuminandæ Asiæ Ioanni obtigerit, etiam quū adeo in proximo fuisse domina illa uideatur & liberi eius, ut spreto scribendi negocio mallet Ioannes eos ore ad os loquendo informare, quàm illis ea ex quibus ulterius erant informandi, chartis cōmittere, præsertim quum illi forte essent etiā ex nomine prodendi, à quorum peruersis dogmatibus erant uendicādi, ne & ipsa & qui cum ea fideles erant perderent gaudium in CHRISTO sempiternū, quod plenitudine & integritate fidei ad finem usq; uitæ paratur. Deinde salutationis exterorum in calce suæ epistolæ ad eandem sanctā & fidelem dominam peragit uices apostolus Ioannes, dicens:

11 Salutant te filij sororis tuæ electæ.] Filij sororis illius præstantissimæ dominæ, eo in loco erant, in quo Ioannes epistolam scripsit. Vnde rursus cōijcitur is locus in Asia non procul fuisse à loco illius dominæ ad quam scribebat, & eandē quoq; fuisse Asiaticam: quanquam non magnopere curādum sit cuias fuerit, neq; huius gratia contendendum: satis nanq; est nosse eam fuisse à deo electam, & nomen ipsius libro uitæ fuisse adscriptum. Et soror illa æque fidelis, & deo acquisita erat ut & domina illa, quod insinuat cum ait: Sororis tuæ electæ. Nō arbitror etiā dominam illam proprium & peculiare nomen habuisse electam, quod nonnulli putauerunt: quum in principio epistolæ electæ dominæ, & hic in calce, sororis tuæ electæ, Ioannes eodem prorsus uocabulo ἐκλεκτῇ ἐκλεκτῆς utatur: sed neq; huius rei gratia controuersandum est. Designat'q; id utranq; fuisse electam: nō humana quidem, sed diuina electione, quæ est infinite bona dei uoluntas, qui nos omnes electione sua sancta dignos efficiat, ut nos omnia, electionem, uitam, spem, charitatem, & quicquid uere bonum est & uere desiderabile, summo patri per filium in spiritu sancto referamus accepta: profuso & profundo corde ab omni creatura, cui cum filio in spiritu sancto sit laus, honor, & gratia rumactio in omnia seculorū secula. Amen.

DIVI IOANNIS EPISTOLAE SECVNDAE, FINIS.

BEATI IOANNIS

APOSTOLI EPISTOLA TERTIA.

ANNOT.

1 Enior, Caio [chariſſimo] quem ego diligo in ueritate. [Chariſſime, de omnibus orationē facio, ꝓſpere te ingredi & ualere,] ſicut [proſpere agit] anima tua.

τῷ ἀγαπητῷ. & infra.

Dilecte, pro oĩbus oro, te proſpere agere, & ſanũ eſſe, ἀγαπητὲ περὶ πάντων εὔχομαί σε εὐοδοῦσθαι καὶ ὑγιαίνειν.

εὐοδοῦται.

2 Gauiſus ſum ualde uenientibus fratribus, & teſtimonium perhibentibus ueritati tuæ, ſicut tu in ueritate ambulas. [Maiorem horum non habeo gratiam,] quàm ut audiam filios meos in ue-
3 ritate ambulare. Chariſſime, fideliter facis quic quid operaris in fratres, & hoc in [peregrinos,] qui teſtimoniũ reddiderunt charitati tuæ in conſpectu eccleſiæ, quos benefacies [deducēs] digne deo: pro nomine enim eius profecti ſunt, nihil accipientes à [gentilibus.] Nos ergo debemus ſuſcipere huiuſmodi, ut cooperatores ſimus [ueri-
4 tatis. Scripſiſſem forſitan eccleſiæ:] ſed is qui amat primatum gerere in eis [Diotrepes,] non recipit nos. Propter hoc ſi uenero, [cõmoneã] eius opera quæ facit, uerbis malignis garriens in
5 nos. [Et quaſi non ei iſta ſufficiant,] neq; ipſe ſuſcipit fratres, & [eos qui ſuſcipiunt] prohibet,
6 & de eccleſia eĳcit. Chariſſime noli imitari malum, ſed quod bonum eſt. Qui bene facit, ex deo
7 eſt, qui male facit, non [uidet] deum. Demetrio [teſtimonium redditur] ab omnibus & ab ipſa ueritate: ſed & nos teſtimoniũ perhibemus, & noſti quoniam teſtimonium noſtrum uerum
8 eſt. Multa habui tibi ſcribere: ſed [nolui] per atramentũ & calamum ſcribere tibi. Spero aũt protinus te uidere, & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta tu amicos nominatim.

Maius his non habeo gaudium, μειζοτέραν τούτων οὐκ ἔχω χαράν.

hoſpites, τοὺς ξένους.

ſi præmiſeris, προπέμψας.

gentibus, τῶν ἐθνῶν.

ueritati. Scripſi eccleſiæ, τῇ ἀληθείᾳ. ἔγραψα τῇ ἐκκλησίᾳ.

Diotrephes, id eſt, Ioue nutritus, διοτρεφὴς.

admonebo, ὑπομνήσω.

Nec his contentus, μὴ ἀρκούμενος,

eos qui uolunt, τοὺς βουλομένους.

uidit, ἑώρακε.

teſtimonium redditum eſt, μεμαρτύρηται.

οὐ θέλω.

COMMENT. IN III. EPIST. IOANNIS.

Onſimilem epiſtolam proximæ præcedenti, nomine Senioris, ſcribit ad quendam Caium, & fidelem quidem & bene notum, ut cuius nomen ſit indebiliter in libro uitæ adſcriptum, etſi hominibus priſcis qui nobis multorum aliorum memoriam reliquerunt, forte ignotum: teſtimonium enim apoſtoli grauiſſimmũ eſt. Quẽ hoc pacto

1. hoc pacto ſancte ſalutat Ioannes: Senior, Caio chariſſimo, quem ego diligo in ueritate.] Fideles aliter quàm in ueritate & fide diligere non ſolent. Mundus et caro, quæ fidem & ſpiritum neſciunt, hoc modo diligere neſciunt: neq; ex ſe unq; poſſunt, niſi hoc modo amandi munus, ſit illis infuſum deſuper: ſed amant duntaxat amore mundano, aut carnis, qui procul ſit à nobis, aut naturæ, qui ſpiritu fidei abſorbet in uere perfecteq; fidelibus, ut ſtellæ claritas à ſolis claritate in meridie: pro quibus orare & gratias agere debemus deo in orationibus noſtris, exemplo euangeliſtæ Ioannis, id nos facere inſtituentis, cum ſubdit:

2. Chariſſime, de omnibus orationem facio proſpere te ingredi & ualere, ſicut proſpere agit anima tua.] Orare, optare, in uotis habere ſe hic dicit Ioannes, ut Caius proſpere agat, ut proſperetur in bonis prouidentiæ diuinæ, quæ gentilitio more adhuc dicere ſolent bona fortunæ. Verũ ſi chriſtiane loquimur, & ſapimus bona ſunt diuinæ prouidentiæ, ſicut ſcriptum eſt: Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & ſubleuat. Quũ autem deus ea aufert ſiue puniendo auaritiam, ſuperbiam aut luxũ ac incontinentiã, ſiue purgando: ſiue probãdo, fugacia putant & temeritati tribuunt, quod diuinæ debent prouidẽtiæ, ſiue in iuſtitia puniat, ſiue in miſericordia purget aut probet, & ſentire cum Iob dicẽte: Dominus dedit, dominus abſtulit, ſit nomen domini benedictũ. Ergo infidelitas, ea tribuit fortunæ, et eſt deo ingrata: fidelitas autem, deo, & eſt illi haud ingrata. Infideles illis uti neſciunt, neq; ad quid & à quo habent. fideles autem & uti ſciũt & ad quid & à quo habent. Ideo iſtis optanda ſunt prouidentiæ bona cum apoſtolo, illis aũt minime. Caius autem teſtimonio Ioãnis fidelis, ideo merito id illis orat, id illi optat: id eñ εὔχομαι deſignat. Et non ſolum proſperitatem externorum bonorum illi optat ac precatur, ſed integram corporis ſanitatem, quod deſignat id ὑγιαίνειν, quod perinde eſt ac ſanum eſſe. Et addit: Sicut proſpere agit anima tua. Sanè anima eius quũ CHRISTO fidelis eſſet, abundabat fide, ſpe, & charitate & chariſmatum donis: quod eſt animam eius ſpiritualiter proſpere agere, diuitẽ eſſe in omnibus gratijs & doctrina euangelica, et ſanam à morbo, imò à morte peccati, mortuam eſſe peccato & carni, ſed uiuere iuſtitiæ & ſpiritui. Quod dixit proſpere ingredi, & proſpere agit: idem eſt uocabulum εὐοδοῦσθαι καὶ εὐοδοῦται. Et gratia cuius hæc precabatur ac optabat: Certe pro omnibus & omnium gratia. Id enim chriſtiani uoti eſt, omnibus bene uelle. Charitas chriſtiani, id eſt uere fidelis, diffuſa eſt, uniuerſalis, & ad omnes extenſa. Sic ad omnes fideles & inter nos, & qui illac tranſibant, Caius prouidentiæ externa bona, ut par erat diſpenſabat, & quando erat ſano corpore, doctrinæ fidei, euangelio CHRISTI ſolo ueræ uitæ pabulo ut ueriſimile eſt, ipſos paſcebat. Proinde ſubiungit Ioannes:

3. Gauiſus ſum ualde uenientibus fratribus, & teſtimonium perhibentibus ueritati tuæ: ſicut tu in ueritate ambulas. Maiorem horum non habeo gratiam, quàm ut audiam filios meos in ueritate ambulare.] Vnde fideli aggignitur gaudium, et magnum quidem gaudium: niſi quando audit de ijs qui abſunt, quod in ueritate ambulãt, quod eſt fide ambulare in puritate doctrinæ euangelicæ, omnia per charitatem euangelicam, quæ eſt charitas CHRISTI per ſpiritum fidei diffuſa in cordibus fidelium: Et etiam id addit ad gaudium: ſi qui abſunt, filij doctrinæ ſunt eorum, quibus ex ſancta relatione ab aduenticijs adfertur lætum nuncium. De Caio autem, fideles uenientes talem relationem, taleq; Ioanni adferebãt teſtimonium, qui & diſcipulus Ioannis fuerat, quod & ad gaudij argumentum faciebat. Diſcipulum autem fuiſſe per id intelligitur: Maiorem horum non habeo gratiam, ſiue ut Græcus habet, μειζοτέραν τούτων οὐκ ἔχω χαράν, maius his non habeo gaudium, quàm ut audiam filios meos in ueritate ambulare. Merito igitur Ioannes

gaudebat, & ualde etiam gaudebat. Faxit CHRISTVS qui idem deus est, harum epistolarum lectores sic ueritatem amplexentur euangelicam, sic fidei spiritū desuper infusum hauriant, sic in ueritate ambulent, ut ubiq; pure annuncietᵉ CHRISTVS & uerbum eius, & sit omnium una & uniuersalis in toto orbe lætitia: desinat caro, regnet spiritus: fides agnoscatur, & infidelitatis tenebræ (id faciente omnipotente misericordia CHRISTI) uanescant, solus deus & uerbum eius exaltetᵉ. At apostolus nunc apertius aperit quo pacto Caius in ueritate ambularet, dicens:

4 » Charissime, fideliter facis quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos,
» qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu ecclesiæ, quos, benefa-
» cies, deducens digne deo. Pro nomine enim eius profecti sunt, nihil accipientes à
» gentilibus. Nos ergo debemus suscipere huiusmodi, ut cooperatores simus ueritatis.] Probat Caium cui prius externorum bonorū imprecatus erat abundantiam cum plenitudine sanitatis, quod aduenis fidelibus illa dispartiabaᵗ & prompta alacritate famulabatur, ad quod maxime largitur deus, prouidentiæ suæ dona
Ephes. 6. & sanitatis plenitudinem. Sed quibus peregrinis? Certe qui erant succincti lumbos in ueritate, & induti loricam iustitiæ, & calciati pedes in præparatione euangelij pacis, quos non diu detinens, ut decebat sanctos dei, præmittebat ad loca antequam ab alijs pseudodidascalis aut præuenti aut seducti essent: quia nunquam inchoatum est annunciari euangelium, aut inchoabitur aliquando obliteratum: quin semper malignus per falsæ doctrinæ seminatores, totis uiribus obluctetur: sed uincit & uincet euangelica lux tenebras omnes fallacis doctrinæ. Et ipsi non uagandi gratia, non curiositate aliqua, sed ad hoc ipsum profecti erant, ut euangelium pacis gratis ponerent, nihil accipientes à gentibus quibus euangelizabāt uitam, quæ in sola fide CHRISTI sita est: sed accipiebant ab illis necessaria quos cœlestis patris prouidentia, larga manu dispensanda bona porrigens ordinauerat, ut
3. Reg. 17. Heliæ mulierem Sareptanam, ut alijs gratis, id est, gentibus, cœlestis alimoniæ panes dispartirent. O nunc quàm felices sunt homines, quū deus se manifestat innouare uelle suum euangeliū, peregrinas & abductitias à deo doctrinas tollere:
Ephes. 6. qui accinctos ueritate, armatos fide qua sola debellatur serpens antiquus, & calciatos pedes in præparatione euangelij pacis suscipiūt, dispensant necessaria, præ 6 »
mittunt ut omni diligentia gratis ponant euangelium ijs quibus annunciabunt.
Matth. 25. Audient profecto à deo hanc exultabundam uocem: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te cōstituam: intra in gaudium domini tui, intra de uita transitoria in uitam æternam, de misera in felicissimā. Pro ijs qui tales sunt & erunt, orare debent omnes fideles, ut prosperētur, detq; illis deus hoc pacto digne dispensandorum bonorum abundantiā, & longam ad pios usus corporis sanitatem, quemadmodum & mente sani sunt. Certe hi digni sunt pro quibus fideles precentur, & illi qui in omnium bonorum communicatione suscipiantur: ut qui facultates habent & gratias pro uirili cooperentᵉ euangelio, fide & charitate, & spiritu fidei præcipue operantibus. Sed quur priuatam & non καθολικὴν publicam, ad ecclesiam non scripserit epistolam, causam reddit Ioannes, dicens:

5 » Scripsissem forsitan ecclesiæ: sed is qui amat primatū gerere in eis, Diotrephes
» non recipit nos. Propter hoc si uenero commonebo eius opera quæ facit, uerbis
» malignis garriens in nos.] Causa fuit quo minus καθολικὴν, sed ἰδιωτικὴν peculiarem fecerit epistolam, quia Diotrephes qui cupidus dominandi primatū gerebat 7 »
in ecclesia, non recipiebat doctrinam Ioannis. Hic Diotrephes inflatus cōtra sensum apostolicum, qui prohibet primos in ecclesia dominari in hæredes regni cœlestis, dicente Petro ad ipsos: Pascite qui in uobis est gregem, nō coacte, sed spon
1. Pet. 5. tanee secundū deum, neq; turpis lucris gratia, sed uoluntarie, neq; ut dominantes

in cle-

in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Quid mirum si Diotrephes nihil horum faciens, ambitiosus & superbus: neq; Ioannem neq; doctrinam eius recipiebat: infidelis enim erat. Quomodo ergo admisisset fidei lucem, & magnæ quidē fidei & plena charitate feruentis epistolam, qualis erat ea quæ Ioannis, nisi prius infidelitate discussa? Tam certe impossibile, quàm manentibus tenebris lucē admittere. Et si non recipiebat Ioannem, quo pacto ecclesiæ, id est conuocato populo quem ut primus & principatum gerens congregabat quū uolebat, manifestam uoluisset epistolam: frustra ergo ad illos publicam scripsisset Ioannes. Verū & Græce habetur, ἔγραψα τῇ ἐκκλησίᾳ, scripsi ecclesiæ, uerum Diotrephes nō admisit epistolam: quod designat Diotrephes nō recipit nos. Sed in hoc se declarat apostolum fuisse, & si priuatam scripserit, quod apostolorum maxime erat catholicas scribere, quod fecisset, nisi Diotrephes mala obstitisset uoluntas, & in hoc quod minatur se correpturum Diotrephen & commoniturum, ad memoriam reducturum opera maligna, quæ ipse faciebat, detrahens & apostolo & euangelio dei. Quod per potentiam spiritus illi facillimum erat, dicente apostolo: Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiā dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium CHRISTI, & in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam. Hoc certe erat apostolorū munus. Quare iuste poterat Ioannes dicere se commoniturum Caium operum eius, & uanæ in ipsum & in doctrinam ueritatis deblaterationis. In quo admonet primos & præcipuos autoritate & potestate in ecclesia sic facturos, quoties sunt ambitiosi, inflati, blaterones in euangelicos uiros & doctrinam ueritatis, uolētes primatum gerere & dominari in cleris. Quod si præcipui hac labe tangūtur, quid ni à summa illa dei potentia redargutionem expectēt? CHRISTVS IESVS qui solus cum æterno patre & spiritu suo est omnia potens, ponat spiritum in summatibus ecclesiæ & euangelicam potentiam ad prompte ulciscendam omnem inobedientiam & omnem altitudinem sese extollentem aduersus scientiam dei. Sed de nequitia & malignitate Diotrephis amplius prosequitur Ioannes, dicens: 2. Corinth. 10

6 » Et quasi nō ei ista sufficiant, neq; ipse suscipit fratres, & eos qui suscipiunt pro
» hibet, & de ecclesia eiicit.] Vtinam nostra tempestate nulli essent Diotrephes, Ioue id est principe tenebrarū nutriti. Sed quid faciebat Diotrephes? Ambibat, inflabatur, cōtemnebat sorte diuina minoris Asiæ apostolū, deblaterabat in euangelium. Sed neq; his contentus, fratres, id est fideles & CHRISTI euangelij q; annunciatores, non recipiebat, sed reiiciebat, nihil illis adminiculi porrigens; sed si qui eos recipere aut hospitio aut adminiculo uolebant, prohibebat atq; impediebat: quod si qui recipiebant & norat, eiiciebat ab ecclesia, id est excōmunicabat, eo modo quo tunc à cōmunitate extorres fiebant qui in euangelio ἀποσυνάγωγοι dicuntur, ostendens in se ne scintillam quidem fuisse charitatis. At quomodo ulla fuisset: ut qui fidem & deū qui charitas est, abiecerat? At Caius nihil hæc timens, uir potens, & fide & terrena potentia recipiebat: & ad necessitatem corporis, & ad uerbum dei necessaria ut fidelis bonorum dei œconomus ac dispensator, ministrabat. Proinde hortatur ipsum Ioannes, ut perseueret in imitatione dei qui bonorum omnium est largitor, dicens:

17 » Charissime noli imitari malum, sed quod bonū est. Qui bene facit, ex deo est:
» qui male facit, non uidet deum.] Qui imitatur malum in capite, imitatur diabolum: qui imitatur in membris, imitatur malos & infideles homines. Sic qui imitat quod bonum est in capite, imitatur deum: & qui imitatur in membris, imitatur pios & fideles homines. Et ut imitari malum in capite pessimū est: ita imitari bo-

num in capite optimum. De illa imitatione in malo, dicebat dominus apud Ioan-
Ioan.8. nem phariſæis: Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris ueſtri uultis facere.
Epheſ.5. Et de imitatione in bono, dicit Paulus ad Epheſios: Eſtote imitatores dei ſicut fi-
liĳ chariſſimi. Secundum locum in malitia aut bonitate, obtinet imitatio in mem-
bris: ſic homicidæ imitantur Cain, ſic mercede conducti peccantes, Balaam. Sic
ſoliciti fratrum, ſiue in ſubuentione neceſſariorum, ſiue in adminiſtratione uerbi
1. Corinth.4. dei, imitatores Pauli. Quemadmodũ ipſe ait ad Corinthios: Rogo ergo uos, imi-
2. Corinth.11. tatores mei eſtote, ſicut & ego CHRISTI. Et alio loco ad eoſdẽ: Præter illa quæ
extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana ſolicitudo omnium eccleſiarum. Ergo
perfecte imitantium eſt caput intueri: incipientiũ uero & promouentiũ, ad mem-
bra ſe effingere, donec poſſint ad caput ipſum oculos attollere, & obtutus ipſos
iugiter in ipſa ueritate defigere, quemadmodũ ſeruator noſter peregrinus in hac
Pſal.15. mortalitatis ualle pro nobis de ſe dicebat: Prouidebam dominum in conſpectu
meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi ne commouear. Et certe tota fideliũ uita
non eſt niſi imitatio, & ueritas eos ſaluat. Et ex imitatione cognoſcitur cuius par
tis ſumus, an dei, an maligni. Nam qui facit bonum, ex deo eſt, quippe qui eſt (ut
ſic dicam) omnibeneficus: qui uero facit malum, fide non nouit deum: quare ſi in
ea manſerit ignorãtia, deũ nunquam uidebit. Sine fide enim impoſſibile eſt unq̃
Hebr.11. uidere deum, quandoquidem ſine fide impoſſibile placere deo. Et ſemper exem-
plo apoſtolorũ nos inuicem hortari debemus, ne fides, ne ſpiritus fidei, & feruor
charitatis lenteſcat, aut remittatur in nobis, aut quod peſſimum eſſet extingua-
tur. Eſt enim charitas ignis, qui hoc flabello eget: quo tam conſeruatur in eo qui
exhortatur, quàm in eo qui exhortationem ſuſcipit, aut excitatur. Adiuuatur
etiam fides, & excitatur laude & gratiarumactione ad deum ex fidelium audita
commendatione. Quod oſtendit Ioannes, in cõmendatione cuiuſdam in fide pro
bati, nomine Demetrĳ, dicens:

8 » Demetrio teſtimonium redditur ab omnibus, & ab ipſa ueritate: ſed & nos te-
» ſtimonium perhibemus, & noſti quoniam teſtimoniũ noſtrum uerum eſt.] Quid
eſt, Demetrio teſtimonium redditur ab omnibus, niſi omnes admirantur, probãt
& laudant fidem Demetrĳ, & uitam pure ſpiritualem & euangelicam? Quid eſt:
& ab ipſa ueritate, niſi ab ea quæ CHRISTVS eſt, & à ſpiritu eius? Et ipſe etiam
1. Cor.2. Ioannes qui conſcius erat arcanorum dei per ſpiritum eius. (Nos autẽ, inquit apo
ſtolus, ſenſum CHRISTI habemus) teſtimonium dat integritati uitæ & fidei De-
metrĳ. Et quum Caius eodem ſpiritu ageretur, ad ipſum dicere poterat Ioannes:
Et noſti quoniam teſtimonium noſtrum uerum eſt. Quomodo enim uerum non
eſſet, quod per ſpiritum ſanctum teſtificabatur? Et ſimili fermè loquẽdi modo de
ſe loquens dicebat in euangelio: Et qui uidit, teſtimonium perhibuit, & ſcimus
Ioan.19. quia uerum eſt teſtimonium eius, ut ex phraſi loquendi hæc etiam epiſtola Ioãni
apoſtolo & euangeliſtæ tribuẽda haud quaquam ueniat addubitanda: quam qua
ratione contraxerit quũ multo plura ſcribenda eſſent, cauſam ſubdit ut in præce-
dente quam ad fidelem et euangelicæ ueritatis ſectatricẽ dominam ſcripſit, dicẽs:

9 » Multa habui tibi ſcribere: ſed nolui per atramentum & calamum ſcribere tibi.
» Spero autem protinus te uidere, & os ad os loquemur.] Cauſa fuit, quod ſpera-
bat, quod fidebat in domino, in quo qui ſperat non confunditur, nõ excidit à ſpe,
nõ fruſtratur, ſe breui uiſurum Caium, & ex præſentia oraculo uocis depromere
omnia quæ ſcripturus erat, & atramento & calamo chartæ commiſſurus, ſi non
tam breui profecturus eſſet. Quare quũ uox ipſa fortius afficiat & cõmodius in-
ſtituat: noluit id chartis tunc committere: hoc ſiquidem quodammodo ſuperua-
caneum fuiſſet. Deinde epiſtolam in finali ſalutatione, pro epiſtolari cõſuetudine
finit,

10 » finit, dicẽs: Pax tibi, Salutant te amici. Saluta tu amicos nominatim.] Hic salutationis tropus, Pax tibi, Hebræis peculiaris est: ut ex multis hæc epistola cognoscatur Ioannis apostoli fuisse, qui Hebræus fuit, & in multis hic Hebræorum loquendi formas obseruat, maxime in temporibus, ritu Hebræorum ipsis utendo, non more Græcorum aut nostro, quod & in euangelio & in tribus epistolis suis facit, ut planè intelligantur hæ etiam duæ posteriores epistolæ non fuisse à natiuo Græco aut Asiatico scriptæ. Et quam optat illi pacẽ: hæc est pax CHRISTI, quæ est securitas remissionis peccatorum in sanguine ipsius, & hæreditatis uitæ æternæ in eodem CHRISTO domino. Et amici, id est, fideles qui erant cum Ioanne, qui & amabãt uera amicitia in spiritu sancto, eadem salute salutabant Caium. Et petunt eos fideles qui apud Caium erant, ex parte ipsorum etiam ex nomine eadẽ salute impartiri. Quam salutem & pacem nobis annuat misericordiarum pater, & æternæ pacis largitor. Cui per filiũ & cum filio domino nostro IESV CHRISTO, qui salus & pax nostra est, & spiritu sancto: honor, gloria, & gratiarum actio in omnia seculorum secula. Amen.

COMMENTARII IN TERTIAM
Ioannis epistolam, finis.

BEATI IVDAE
APOSTOLI EPISTOLA CANONICA.

1 IVdas IESV CHRISTI seruus,
2 frater autẽ Iacobi. His qui sunt in deo patre [dilectis,] & CHRISTO IESV conseruatis ☞ & uocatis, misericordia uobis, &
3 pax, & charitas [adimpleatur.] [Charissimi,] omnem [solicitudinem] faciens scribendi uobis de communi uestra salute, necesse habui scribere uobis: [deprecans supercertare] semel traditæ
4 sanctis fidei. Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc iudicium) impij, domini nostri gratiam transferentes in [luxuriam, & solum dominatorem,] & dominum nostrum IESVM CHRISTVM negantes.
5 Commonere autem uos uolo, [scientes semel omnia, quoniam IESVS] populum de terra Aegypti [saluans,] secundo eos qui non crediderunt
6 perdidit. Angelos uero qui non seruauerunt suum [principatum,] sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium [magni dei,] uinculis æter-
7 nis sub caligine reseruauit. Sicut Sodoma &

ANNOT.

sanctificatis, ἡγιασμένοις.

multiplicetur, πληθυνθείη. ἀγαπητοί, & *infra*.

diligentiam, σπουδήν.

obsecrans ut certetis, adlaboretis, παρακαλῶν ἐπαγωνίζεσθαι.

lasciuiam & solum patremsimiliâs deum, ἀσέλγειαν καὶ τὸν μόνον δεσπότην θεόν.

quũ sciatis semel hoc, quoniam dominus, εἰδότας ὑμᾶς ἅπαξ τοῦτο, ὅτι ὁ κύριος.

quum seruasset, σώσας.

principiũ, originẽ, τὴν ἀρχήν.

magnæ diei, μεγάλης ἡμέρας.

Gomorra, & finitimæ ciuitates simili modo ex-
fornicatæ, & [abeuntes] post carnem alterã, [fa-
cti sunt] exemplum ignis æterni pœnã sustinen-
8 tes. Similiter & hi † carnem quidem maculãt,
dominationem autem spernunt, [maiestatem]
9 autem blasphemãt. [Quum Michaël archan-
gelus cum diabolo disputãs,] altercaret̃ de Mosi
corpore: non est ausus iudicium inferre blasphe-
miæ, sed dixit: [Imperet tibi deus.] Hi autem,
quæcunq; quidem ignorant, blasphemant, quæ-
cũq; autem naturaliter tanquam muta animalia
10 norunt, in his corrumpunt̃. Væ illis [qui ►
in] uia Cain abierunt, et errore Balaam, mercede
effusi sunt, & ► in contradictione Chore [abie-
11 runt. Hi sunt in epulis suis,] maculæ conui-
uantes [sine timore,] semetipsos pascentes, nubes
sine aqua quæ à uentis circumferuntur, arbores
autumnales infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ:
[fluctus feri] maris despumãtes suas cõfusiones:
sidera errantia, quibus [procella] tenebrarũ ser-
uata est in æternum. Prophetauit autẽ & de his
septimus ab Adam, Enoch, dicens: Ecce uenit do
minus in sanctis milibus suis facere iudicium con
tra omnes, & arguere omnes impios † de omni-
bus operibus impietatis eorũ quibus impie ege-
runt, & de omnibus duris quæ loquuti sunt con-
12 tra [deum] peccatores impij. Hi sunt murmu-
ratores, querulosi, secundum desideria sua ambu
lantes, & os eorum loquitur [superbiam,] miran
13 tes personas, [quæstus causa.] Vos autẽ cha-
rissimi, memores estote uerborũ quæ prædicta
sunt ab apostolis domini nostri IESV CHRI-
STI, [qui] dicebant uobis, quoniam in [nouis-
simis temporibus uenient] illusores, secundũ de-
sideria sua ambulantes [in impietatibus.] Hi sunt
qui segregant ► semetipsos, animales, spiritum
14 non habentes. Vos autẽ charissimi, superædi
ficantes uosmetipsos sanctissimæ [nostræ] fidei,
in spiritu sancto orãtes, uosmetipsos in dilectione
dei seruate, expectantes misericordiã domini no-
15 stri IESV CHRISTI in uitã æternam. Et hos
quidem

ANNOT.

profectæ, ἀπελθοῦσαι. *propositæ sunt*, πρόκεινται.

† *somniantes*, ἐνυπνιαζόμενοι.

potestates, glorias, δόξας.

Michaël autẽ archangelus quando cum diabolo disputans, ὁ δὲ μιχαὴλ ὁ ἀρχάγγελος ὅτε τῷ διαβόλῳ διακρινόμενος. *Increpet tibi dominus*, ἐπιτιμῆσαι σοι κύριος.

quia, ὅτι.

perierunt. Hi sunt in charitatibus uestris, ἀπώλοντο. οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν *intrepide*, ἀφόβως.

undæ efferæ, κύματα ἄγρια.

caligo, ζόφος.

† *eorum*, αὐτῶν.

eum, αὐτοῦ.

tumida, superba, ὑπέρογκα.

utilitatis gratia, ὠφελείας χάριν.

quia, ὅτι. *in nouissimo tempore erunt*, ἐσχάτῳ χρόνῳ ἔσονται.

impietatum, τῶν ἀσεβειῶν.

uestræ, ὑμῶν.

quidem [arguite iudicatos:] illos † uero ſaluate de igne rapientes. ➡ [Alijs autem miſereminí in timore,] odientes & eam quæ [carnalis eſt,]
16 maculatam tunicam. Ei autem qui poteñs eſt uos conſeruare ſine peccato, & conſtituere ante conſpectum gloriæ ſuæ [immaculatos] in exultatione ➡ in aduentu domini noſtri Ieſu Chriſti, ſoli [deo ſaluatori noſtro ➡ per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum] gloria & magnificentia, imperium & poteſtas ➡ ante omnia ſecula, & nunc & in omnia ſecula ➡ ſeculorũ. Amen.

miſereamini dijudicãtes, ἐλεᾶτε διακρινόμενοι. † *in timore*, ἐν φόβῳ.

à carne eſt, ἀπὸ τῆς σαρκός.

irreprehenſibiles, ἀμώμους.

ſapienti, σοφῷ.

COMMENT. IN EPIST. IVDAE.

IVDAS Thaddæus, qui aliquando Lebbæus cognominatur, filius Cleophæ, qui frater fuit Ioſeph ſponſi, cuſtodis & teſtis fidelis, illibatæ uirginitatis mariæ, ex matre Maria Cleophæ natus, frater autem Iacobi minoris, Simonis & Ioſeph iuſti, quod ex Egeſippo illius temporis hiſtoriarum ſcriptore cognoſcitur, hanc epiſtolã fidelibus ſcripſit, præmonens eos apoſtaſiæ nonnullorum, ne latius irreperent in regno CHRISTI, ſic orſus:

1. Iudas IESV CHRISTI ſeruus, frater autem Iacobi.] Quũ eſſet apoſtolus, & eo tempore frater domini diceretur, eo quod dominus & ipſe filij fratrum putabantur: non tamen ipſe ueræ humilitatis cauſa apoſtolum ſe nuncupat, neq; fratrem domini, ſed ſolum ſeruum domini noſtri IESV CHRISTI, ut qui illi uiueret, illi operaretur, cui etiam & martyr animam glorioſam, fructibus ſerui uere fidelis & irreprehenſibiliter ante dominum ſuum conuerſati pleniſſimam in Perſide ut uolunt reddidit. Et quod addit etiam ſe fratrem Iacobi, hoc fecit ad diſcrimen alterius Iudæ etiam olim apoſtoli, ſed filij perditionis, qui dominum gloriæ & uitæ principem, tradidit ad perdendũ ſynagogæ ſatanæ. At non perdiderunt, ſed ipſe mortem deſtruxit, uictor ipſe mortis in immortalitate reſurgens, æterna omnibus in eo & per eum qui crediderunt, & credentibus, & crediturís, redemptione inuẽta. Mox ſanctos, id eſt fideles ad quos ſcribit, ſancte ſalutat hoc pacto:

2. His qui ſunt in deo patre dilectis, & Chriſto Ieſu conſeruatis & uocatis. Miſericordia uobis, & pax & charitas adimpleatur.] Si patris miſericordia nõ fuiſſet, quomodo dilexiſſet nos qui à mundi exordio ipſum ſemper offendimus? Si ipſe nos non dilexiſſet, nunquam filium ſuum unigenitum, ut uitam nobis daret æternam miſiſſet in mundum, ſed ut uere ſcriptum eſt: Sic deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternã. Recte ergo fideles, dilecti à deo patre dicuntur, ſiue ut Græcus habet, ἡγιασμένοι, ſanctificati. Sed qua ratione? Certe per cõſeruationem in domino noſtro Ieſu Chriſto, per fidem ipſius qui eſt filius dei, uinculum & ratio dilectionis patris in nos: nos dico uocatos & accitos in filio per uerbum ſuum, per ſanctum euangelium. Et qui pura fide accedit ad Chriſtum, quo pacto dubitabit ſe diligi à patre, quũ filius de ipſis dicat: Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego uitã æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea. Qui uitam æternam habebunt, *Ioan. 3.* *Ioan. 10.*

qui ſemper erunt cum filio: à quo nunquam auelli poterũt perpetua charitate colligati, quomodo non diligentur à patre, quo modo non ſanctificabuntur? Quod uero ſanctam ſalutationem complet, dicens: Miſericordia uobis, & pax, & charitas adimpleatur, id eſt multiplicetur, miſericordia patrem reſpicit: nam ipſe eſt
2. Corinth. 1. (dicẽte apoſtolo) Pater miſericordiarum, & deus totius conſolationis. Pax filiũ,
Epheſ. 2. quandoquidem, eodem teſte, ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraq; unum. Charitas,
Rom. 5. ſpiritum ſanctum. Charitas (inquit) dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Hæc igitur ſancta ſalutatio eſt in miſericordia patris, in pace filij, & in charitate ſpiritus ſancti, id eſt in patre, in filio, & in ſpiritu ſancto. & hæc ὑποσατικῶς in multiplicatione trinæ beatitudinis immultiplicabiliter ſunt multiplicata. Coincidũt enim hæc omnia in omnibus, ſiue cõiuncta in diuinis contempleris, ut in eſſentia, natura, omnipotentia, ſapientia, bonitate, & id genus: ſiue diſcreta, qualia ſunt pater, uerbum, & ſpiritus ſanctus. Ergo miſericordiam, pacem, & charitatem patris imprecatur: miſericordiam, pacem, & charitatem filij: miſericordiam, pacem, & charitatem ſpiritus ſancti: miſericordiam, pacem, & charitatem unius ſuperimmenſi & incomprehenſibilis dei. Hic coniuncte: illic (ut ſic dicam) διαζευτῶς, diſcrete, unice in trino, & trine in uno: & hic & illic ſuper omnem ſenſum & intelligentiã incõprehenſibiliter indiuiſe. Poſita hac ſalutatione, cauſam aperit qua inductus eſt ut hac eos hortaretur epiſtola, dicens:

5. Chariſſimi, omnem ſolicitudinem faciens ſcribendi uobis de communi ueſtra
" ſalute, neceſſe habui ſcribere uobis, deprecans ſupercertari ſemel traditæ ſanctis
" fidei.] Hæc ſolicitudo ſcribendi & admonẽdi neceſſitas erat, ut ipſi uiriliter certamen fidei euangelicæ retinerent, quæ ſemel à Chriſto tradita & euulgata à ueris apoſtolis fuerat, ut integra, ſyncera & illibata ſeruaretur, & aduerſus hæreticos & nouos dogmatiſtas defenderetur. Semel tradita fuit uetus lex Iudæis, illi ſemel traditæ inſudarunt, quibus erat mandatum nihil illi addendum eſſe, nihil ſubſtrahendum: quod obſeruatum eſt uſq; ad phariſæos & alios hæreticos, id eſt ſectarios, qui illi adiecerunt, & ad intelligentias ſuas traxerunt, & de nonnullis diſpenſarunt. Sic ſemel tradita eſt lex noua, lex euangelica à CHRISTO, & euulgata ubiq; ab apoſtolis, cui neq; addendum, neq; ſubſtrahendum, neque quicquã immutandum erat, quorum oppoſitum incipiebant iam quidam facere. Et hac de cauſa ſcribẽdi adhortandiq; neceſſitatẽ amplius aperit Iudas apoſtolus, cũ ſubdit:

4. Subintroierũt enim quidam homines qui olim præſcripti ſunt in hoc iudiciũ:
" impij, domini noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum dominatorem
" noſtrum IESVM CHRISTVM negantes.] Sicut fideles & pij ab æterno electi, præſcripti & præfigurati ſunt ad uitam æternã: ſic infideles & impij, ab æterno reprobi, præſcripti & præſignati ad hoc iudicium, ad hanc condemnationem ſcilicet æternam, illi uitæ fidelium piorumq; oppoſitam. Nam ut per filium dei reſurrectio & immortalitas bonorum: ſic reſurrectio & mors perpetua malorum, quæ eſt iudicium ad quod præſcripti ſunt impij. Et hi maxime qui tãtam gratiam euangelicæ lucis domini noſtri Ieſu Chriſti paruiducentes, transferunt ad mundi uoluptates, & carnis illecebras: & ipſum dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, qui ſanctitatis eſt autor, & ſolus dominator & dominus omnium eſt, factis & uita negant, increduli ijs quæ ab apoſtolis & euangeliſtis ueriſſime ſunt annunciata. Nã luxuriæ carnis non ſunt cum ſpiritu: fides autem & credulitas non eſt ſine ſpiritu. Et impios ad hanc condemnationem eſſe ab antiquo deſignatos, etiam præfiguratos oſtendit primo per impios & incredulos quos poſt liberationem per Moſen à Pharaone & Aegyptiacis tenebris, horrendiſq; illis periculis liberatos, poſt

transitum

transitum maris rubri, & post traditam illis legem dominus deleuit in deserto: sic & isti increduli & negãtes Christum, post liberationem per Christum dominum à diabolo, tenebris exterioribus, horrẽdissimis & perpetuæ mortis periculis, post susceptam baptismi in sanguine CHRISTI gratiam, post traditam illis euangelicam doctrinam in hoc mundo (feriente deo) æternaliter peribunt. Illi enim increduli, istorum in figura præcesserunt. Quod insinuat Iudas, dicens:

5. Commonere autem uos uolo, scientes semel omnia: quoniam IESVS populum de terra Aegypti saluans, secundo eos qui non crediderunt perdidit.] Quid est, Scientes semel omnia, nisi qui ex ueritate euangelica semel tradita, scitis omnia quæ saluti æternæ sunt necessaria, ne quisquam postea addat illi semel traditæ? Et quod subiungit de populo ab Aegypto liberato: factum fuisse declarat Moses Numerorũ capite 11. 16. & plerisq; alijs in locis. Et quod hic dicitur IESVS: Græcus habet κύριος, dominus, quod magis illi historiæ quadrat. Secundo impiorum iudicium ab antiquo præscriptum & præfiguratum monstrat in angelis reprobis, subdens:

6. Angelos uero qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium: in iudicium magnæ diei uinculis æternis sub caligine reseruauit.] Angeli qui non seruauerunt τὸν ἑαυτῶν ἀρχήν, suum principium, suæ originis statum, in quo deus ut & beatos collocauerat, delecti in partes inferiores, suum cœleste reliquerunt, imo perdiderunt domicilium: & illos deus de cœlo deturbatos catenis sempiternis (ut enim sensilibus sunt sensilia, sic spiritualibus spiritualia sunt uincula) uinculis omnipotentiæ suæ indissolubilibus astrictos, reseruauit in loco caliginoso, qui à cœlo ad ima continetur, hicq; illis deputauit carcerem usq; ad μεγάλης ἡμέρας, magnæ diei iudicium, quæ est dies nouissima, & dies iudicij, de qua apud Sophoniam: Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris super ciuitates munitas, & super angelos excelsos. De carcere igitur caliginis transituri sunt ad iudicium tenebrarum exteriorum, & supplicium ignis æterni. Quod nisi certo expectarent, nequaquam clamassent præsentia primi aduentus omnium futuri iudicis CHRISTI territi: Quid nobis & tibi IESV fili dei? ueneisti huc ante tempus torquere nos? Et nisi transituri essent ad illud supplicium ignis, dominus non diceret se in illa die dicturum ijs qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Et hic casus & iudicium illorum angelorum, præscribit & figurat casum & iudicium impiorum: qui à regno CHRISTI quod est regnum cœlorum, non seruant suum principium, suæ spiritualis originis nascentiæq; cum electis fidelibus statum, sed ruunt in caliginem carnis, mundi & uitiorum, qui & in illis caliginibus uincti catenis peccatorum, seruantur perpetuis mortis tenebris. Tertio præfigurati sunt in mortis æternæ iudicium, à supplicio ignis Pentapoleos, id est, quinque ciuitatum Sodomæ, Gomorrhæ, & reliquarum, quæ diuina feriente uindicta igne, pice, & fulmine cœlitus terribiliter super eas descendente perierunt. Quod & sic hic Iudas apostolus tangit, dicens: *Sophon.1.* *Matth.8.* *Matth.25.*

7. Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.] Qui relinquunt CHRISTVM, non relinquunt eum, nisi quia post carnem & mundum abeuntes fornicantur à deo. Et cui adhærere debent non adhærent: sed in immunditijs carnis & mundi, & idololatrijs adhærent creaturæ, sicut ciues illi Sodomæ & Gomorrhæ, & aliarum uicinarum ciuitatum. Et ideo

non aliter expectent iudicium ignis æterni, quàm isti iudicium ignis temporalis in exemplum sunt experti, qui tamen typus erat ignis æterni. Constat igitur impios in regno CHRISTI & dei olim fuisse præscriptos per angelos reprobos, & filios Israël ab Aegypto liberatos, & per Sodomæos & Gomorrhæos, & simili uitæ corruptione laborantes. Præscriptio uitæ CHRISTI, incorruptio & immortalitas: defectio ab ea, corruptio & mortalitas. Præscriptio, cœlum, spiritus, & uita æterna: defectio, mundus, caro, mors perpetua. Præscriptio, pietas quæ est purus & syncerus dei cultus: defectio, impietas quæ est à uero dei cultu auersio. Quare ut impij olim præscripti sunt inter malos angelos, qui perdiderunt cœleste suum domicilium in loca tenebrarū: sic pij inter bonos qui primordialis originis dignitatem seruarunt, & iugiter seruant, & seruabunt in cœleste regnum. Et ut impij designati per liberatos à Pharaone & Aegypto, qui nihilominus increduli murmurauerunt aduersus deum: sic pij per eos qui semper in tentationibus deserti, quod erat figura huius mundi, steterunt, & crediderunt firmiter deo, & eum posuerunt brachium suum, fortitudinem & defensionem suam. Et ut impij per Sodomitas, Gomorrhæos, & reliquos quos inuoluit terribilis turbo ac procella ignis diuinæ ultionis: sic pij per Loth & filias eius, qui in monte saluantis dei ascendentes, terribile euaserunt iudicium. Et figuratos præfigurantes in se repræsentant, si in bonum, multo in illis eminentius & diuinius: sin in malum, multo deterius & detestabilius. Quod de impijs præscriptis, prosequitur Iudas, subdens:

8 » Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, ma
» iestatem autem blasphemant.] Pentapolitæ quū non essent initiati, non sanctificati, neque legis susceptione, neque fidei gratia, carnem polluebant: hi autem initiati, sanctificati secunda regeneratione quæ est gratia fidei, à carne ad spiritū traducti, sancta polluunt, carnem suam corpori CHRISTI sociatam inquinantes, in quo dominationem ipsam, ipsumq; dominum gloriæ contemnunt & paruipendunt, & insuper perditionis dogmata addentes, maiestates ipsas, nō solum
Rom.13. humanas, dei tamen uoluntate potestatem adeptas (quia omnis potestas à deo est) sed etiam ipsos apostolos & euangelistas, quos deus posuit in orbe terrarum maximos, quos & super omnem terram constituit diuinarum institutionum principes, blasphemant, illis detrahentes & sanctæ doctrinæ eorum, quæ non eorum, sed CHRISTI, sed spiritus dei est, & in eos maledicta euomentes. Sed qua temeritate & æterne punienda audacia id faciant, aperit, quum ait:

9 » Quū Michael archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Mosi cor-
» pore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi deus. Hi
» autem quæcunque quidem ignorant, blasphemant: quæcunque autem naturali-
» ter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.] Quū Michael tantus sit, ut princeps sit angelicæ militiæ, deturbator diaboli è cœlestibus sedibus
Apoc.12. & apostasiæ angelicæ, dicente Ioanne in Apocalypsi: Factum est prælium magnum in cœlo. Michaël & angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & angeli eius, & non præualuerunt, neque locus inuentus est eorum am-
Dan.10. plius in cœlo. Et angelo quodam in Daniele: Et ecce Michael unus de principibus primis, uenit in adiutorium meum. Quum igitur tantus esset, & contenderet aduersus diabolum de corpore Mosi sepulto ministerio angelico, iubente domino, in ualle terræ Moab, è regione Phogor: nulla temeritate usus maledictum aliquod intorsit diabolo, ne blasphemiæ iudicium incurreret, id attentans quod dei est imperare, increpare, condemnare: sed sententiam ac iudicium imperij, in-

crepa-

crepationis & arctæ prohibitionis reliquit deo, dicẽs: Increpet tibi deus. Et quid diabolo increpet, quid arcte prohibeat, quid minis uetet qui potestatem habet eum mittendi in gehennam: nisi, ne corpus Mosi quod deus latere uoluit diabolus pessima uoluntate proderet, ut non secus Hebræi colerent Moysen, quàm Aegyptij Serapin? Quid igitur, quum ne in diabolum quidem sit blasphemandum, aut in pessimos ac infimos homines, sed iudicium deo sit relinquendum, audent isti dei potentiam & ordinationem contemnere, & in optimos quosque ac omnium mortalium dei munere summos blasphemare, & in sanctam nobis cœlitus datam euangelij doctrinam? Sed isti caligine peccatorum, & maligni tenebris obcæcati: quæcunque ignorant, blasphemant: & qui de consortio spiritus relapsi sunt ad carnem, prius similes angelis, & posterius similes effecti brutis & iumentis insipientibus computrescentibus in stercore suo: in ijs quæ natura norunt: sed corrupta quidem natura, & sensibus carnis, tanquam bruta & irrationabilia animalia corrumpuntur. O misera conditio hominum, qui angeli prius effecti, in bruta & insensata pecora transierunt, his longe infeliciores & inferiores, quod hæc post hanc uitam nulla manent mala, illos autem manent supplicia æterna. Idcirco illis à deo parata est omnis maledictio. Nec abs re, quia illos sequitur omnis malitia quæ in cæteris præcessit: quanquam in præcedentibus figura & incõsummata malitia, in ijs autem è spiritali statu relapsis consummata. Quod subiungit Iudas apostolus, dicens:

10. Væ illis qui in uia Cain abierunt, & in errore Balaam mercede effusi sunt, &
. in contradictione Core perierunt.] Via Cain, iniustitia, ut qui deum non iuste colebat, quandoquidem eius cultum deus non attendebat: & hæc etiam impietas erga deum. Via Cain inuidia, ut qui per eam fratris sui fuit homicida: & hæc impietas erga fratrem. Via Cain, diffidentia clementiæ diuinæ. Maior est (inquit) iniquitas mea, quàm ut ueniam merear: & hæc est auersio à deo, quod & eius uagatio exilium; monstrabat. Et hi similiter iniusti, impij in deum & fratres, & fratrum homicidæ, animas quæ longe pluris sunt quàm corpora, si non etiam corpora enecantes, & per totam uitam nihil deo fidentes. Et ideo quanto magis uiuunt, tanto magis à deo auersi, & à regno cœlesti profugi & exules. Error Balaam fuit, ut mercede conductus ab Ammonitis & Moabitis, uoluerit maledicere populo dei: prohibitus tamen à deo non maledixit, quod ex Numerorum capite 23. cognoscitur. At isti ob quæstum & congerendas opes in omne facinus effundũtur: neque deo parent, sed execrantur et maledicunt fideli populo CHRISTI, quem sanguine suo acquisiuit, & cui deus benedixit. Contradictio Core aduersus Mosen & Aaron, & exitus rei, nota sunt ex historia Numerorum capite 16. & 26. Sic & si qui aliquando aduersus CHRISTVM & sacerdotium eius qui solus est sacerdos in æternum, se eleuarint aut eleuaturi sint in populo, summum sibi uolentes indigne usurpare CHRISTI sacerdotium, se supra apostolos & uere uerbi dei ministros efferentes. Sed ut Cain sagitta in cæcitate sagittantis, Balaam ultione dei, & Core deglutione terræ perierunt: sic isti huiusmodi sagitta diaboli sagittante in tenebris, & uindicta dei, & descensione ad ima inferi interibunt. Præcesserunt figuræ, sequetur ueritas. Sed & quales sunt illi in uita, ijs ad quos scribit, retegit amplius Iudas dicens:

11. Hi sunt in epulis suis maculæ conuiuantes, sine timore semetipsos pascentes,
. nubes sine aqua quæ à uentis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ: fluctus feri maris, despumantes suas confusiones: sidera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum. Prophetauit autem

Genes. 4.

» & de ijs ſeptimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce uenit dominus in ſanctis mili-
» bus ſuis facere iudiciũ contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus ope-
» ribus impietatis eorum quibus impie egerunt, & de omnibus duris quæ loquuti
» ſunt contra eum peccatores impij.] Quum, inquit, ex charitate pauperibus fra tribus conuiuia celebratis (quas agapas dicerere ſolent) iſti impij uobiſcum conuiuantur, & ſunt inter uos maculæ, qui quum ſint maculati, & ſordibus inquinati, alios quoque maculant ac inquinant. Sunt ſemetipſos ſine ullo dei timore & uerecundia paſcentes, & cibo corporali ſeſe reſartientes: nullum exemplum uitæ, nullum paſtum doctrinæ alijs miniſtrantes. Sunt nubes ſine aqua, nullum gratiæ imbrem, illis cum quibus uerſantur infundentes: ſed quæ ambitionibus & concupiſcentijs mundi, malignicq; ſuggeſtionibus, carnis & diaboli huc & illuc impelluntur. Sunt arbores autumnales ἄκαρπα, id eſt, ſine fructu, infructuoſæ. Sunt arbores bis mortuæ, ſine fructu, ſine fronde, mortuæ in trunco & radice, in uerbo & opere, in corpore & anima, in hac & in altera uita. Sunt arbores eradicatæ, auulſæ de corpore CHRISTI, eraſæ de libro uitæ. Sunt procellæ feroces huius tumultuarij mundi: quæ ubicunque illiduntur, ſpumam ſuarum confuſionũ, ſuarum impietatum relinquunt. Sunt ſidera, quæ nocturno tempore uidentur in aëra euibrata, quibus ὁ ζόφος, id eſt ipſa caligo tenebrarũ reſeruata eſt in perpetuum. Vt enim ignes illi aërij citiſſime extinguuntur, & caligine noctis tegun-tur: ſic iſti paruo tempore, ſplendore diuitiarum, & pompa honorum mundi lucent, & mox ſubeunt æternas infernæ noctis tenebras, perenniter extincti. Sicut ignibus illis inſtar ſiderum in aere uagis paratæ ſunt nocturnæ caligines in quibus extinguntur: ſic iſtis paratæ ſunt tenebræ exteriores æternæ noctis, in quibus extinguantur, in quibus perpetuo crucientur. De quibus & ſimilibus adducit prophetiam Enoch filij Iared, qui fuit ſeptimus ab Adam, diuinorum ante diluuium arcanorum conſcius & uerè fidelis, quem & deus è mundo tranſtulit. Librum autem Enoch ait Tertullianus Noë in arca ſeruaſſe, & poſteris communicaſſe: inſuper & Hebræos occultaſſe poſt apoſtolorum tempora, aut reiecciſſe, quod nimis apertum de iuſto iniuſte condemnando haberet teſtimonium. Sed quo autore neſcio. Et quod dicunt Iudam apoſtolum ex apocrypho libro Enoch adducere teſtimonium hoc: Ecce uenit dominus in ſanctis milibus ſuis, & quæ ſequuntur, nolo digladiari: nam id apocryphum, quod ſecretum, quod occultum, quod reconditum eſt, deſignat. Certum autem eſt hunc librum Enoch
2. Coloſſ. 2. ſic reconditum eſſe, ut nuſquam appareat. Sic Paulus ad Coloſſenſes dicit: In CHRISTO omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ eſſe apocryphos, id eſt reconditos. Non tamen intelligere uellem apocryphum, id eſt reconditum, tanquam luce indignum, ne apoſtolum CHRISTI temerarie iudicem, & forte ſpiritum dei qui per apoſtolos loquebatur, quid ſcis ſi etiam per iſtum? Et euangelium Matthæi Hebraicum, ut Hebraicum nunc nobis apocryphum, id eſt, reconditum eſt: quod ſi dei munere, modo uſquam ſuperſtes ſit, erueretur in lucem, non eſſet apocryphum, ſed retectum & uerè canonicum. Sic quod prius citauit: Quũ Michaël archangelus cum diabolo diſputans altercaretur: ex aliquo libro apud Hebræos nõ illis tunc apocrypho, ſed trito & manifeſto, non reiecto, ſed illis approbato, temetſi non eſſet de canone legis, citauit. Sed quales adhuc Iudas apoſtolus illos faciat, qui iudicium dei ob ſuam impietatem effugere non ualebunt, ſubiungit, dicens:

12 » Hi ſunt murmuratores, queruloſi, ſecundum deſideria ſua ambulantes, & os
» eorum loquitur ſuperbiam, mirantes perſonas quæſtus cauſa.] Murmuratores di-

res dicuntur, qui clàm & secreto detrahunt & maledicunt. Querulosi, quos hic uocat μεμψιμοίρους, diffiniuntur apud Græcos, amatores criminationum, & cupidi accusationum & contentionum. Hi ambulant secundum desideria sua, non dei, non scripturarum, sed secundum placita carnis & hominum, quos neque honestas trahit, neque lex diuina aut humana coërcet: sed secundum suas concupiscentias ambulant, & ut Paulus ad Philippenses inquit, inimici crucis CHRISTI: quorum finis interitus, & quorum deus uenter est. Loquuntur superba, quum humanorum, tum maxime quum incidit sermo diuinorum. Posuerunt (inquit) os suum in cœlum, & lingua eorum transiuit in terra. Hi uero admirantur personas, quæstus & turpis lucri gratia, palpant, applaudunt, adulantur. Et quid mirum si incidit occasio quoad in ipsis est: si filium dei uendunt, & cauponantur eius uerbum? Tales erant aduersus quos scribebat CHRISTI apostolus, Iacobi minoris apostoli frater. Tales sunt qui desciscunt à fide domini nostri IESV CHRISTI, qui à spiritu cadunt ad carnem, ab euangelio ad peregrinas doctrinas, de quibus Paulus: Doctrinis uariis & peregrinis nolite abduci: à cœlo ad terram, ab angelis ad dæmonia, à fide ad infidelitatem, à felicitate ad miseriam, & denique ad omne malum: qui fidem, spem, & charitatem relinquunt duces, & cum oppositis earum per deuia mortis feruntur in æternam perditionem: qui ex semine Abraham facti sunt semen Chanaam, imò ex semine CHRISTI facti sunt semen antichristi & diaboli. Et ut paucis omnia complectar: ij iuxta apostoli Pauli sententiam, repleti sunt omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, pleni inuidia, homicidijs, contentione, dolo, malignitate. Hi sunt susurrones, detractatores, deo odibiles, contumelioſi, superbi, elati, inuentores malorum, parentibus inobedientes, insipientes, incompositi, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia, quos tradidit deus in reprobum sensum. O quàm adhærere deo bonum est, ponere in domino spem suam, non discedere à CHRISTO, ne tradamur in reprobum sensum, & in hæc reproborum spirituum ludificamenta: quum nos CHRISTVS, idem deus & dei filius suo sanguine acquisierit, & similes angelis esse uelit, imò amplius sibi similes ac conformes qui deus est. Sed quum spiritum dei nihil lateret: tales futuros in nouissimis diebus, spiritu præsago prædixerant apostoli, ut posteros redderent cautiores, ne latum quidem unguem discederent à doctrinæ euangelicæ soliditate. Quorum dictorũ memoriam eis ad quos scribit innouat Iudas apostolus, dicens:

Philip.3. *Psal.72.* *Heb.13.* *Rom.1.*

23 » Vos autem charissimi, memores estote uerborum, quæ prædicta sunt ab
» apostolis domini nostri IESV CHRISTI, qui dicebant uobis, quoniam
» in nouissimis temporibus uenient illusores, secundum desideria sua ambulan-
» tes in impietatibus. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.] Quia hic Iudas meminit apostolorum, & se non connumerat illis, non est sufficiens argumentum ipsum non fuisse apostolum: nam de ijs loquitur, qui hæc prædixerãt, & qui tum dormiebãt, ut Petrus & Paulus qui hæc prædixerunt. Petrus capite tertio, secundæ suæ epistolæ: Venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes. Et Paulus 1. ad Timotheum 4. In nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs qui cognouerunt ueritatem. Et similiter 2. ad Timotheum 3. Iudas autem & Simon Cananites ad longa tempora remanserunt, ut de illis te-

ſtantur hiſtoriæ. Et circa ultima tempora adoleſcentis eccleſiæ, inſtiterunt tempora periculoſa, circa etiam ultima tempora iuuentutis, ad quæ nos peruenisſe arbitror quæ ſunt initium ſenectæ eius, inſtabunt periculoſa, circa quæ fides CHRISTI, quæ penè abſoleta erat, eſt reſtituenda, quum CHRISTVS per
Luce 18. euangelium ſuum rediturus eſt in mundum. Filius (inquit) hominis ueniens, putas inueniet fidem in terra? Circa etiam ultima ſenectæ eccleſiæ tempora etiam
Apoc. 20. ex apocalypſi inſtabunt periculoſa. Et quum (inquit) completi fuerint mille anni, ſoluetur ſatanas de carcere ſuo, & exibit, & educet gentes &c. Et hoc (ut ibi cognoſcitur) modico tempore, poſtea iudicium. Et certe nunc his, & longo ante tempore inter Chriſtianos multi regnant impoſtores, qui ſe ultro à CHRISTO & euangelio eius ſegregant, homines animales, homines ſpiritum non habentes, ſed & an ſpiritus ſit ne quidem ſcientes aut ſcire uolentes, ambulantes in impietatum ſuarum, & ſuarum inuentionum deſideriis. Et hi in futuro non expectent ſocietatem ſanctorum angelorum, ſed dei cum ſanctis millibus ſuis aduenientis iudicium, & ſocietatem dæmoniorum. Fide uerbi dei, & ſpiritu ad conſortium peruenitur angelorum, infidelitate & carne ad conſortium dæmoniorum. Et quos in hac uita imitatus fueris, illorum conſortia expecta. Sed quid faciemus his magnæ infelicitatis & carentiæ fidei, & ſpiritus temporibus uiuentes? Sanè quod ſuis temporibus faciendum monebat ſuos Iudas apoſtolus, inquiens:

24 » Vos autem chariſſimi ſuperædificantes uoſmetipſos ſanctiſſimæ noſtræ fidei,
» in ſpiritu ſancto orantes, uoſmetipſos in dilectione dei ſeruate, expectantes miſericordiam domini noſtri IESV CHRISTI in uitam æternam.] Sanctiſſima fides noſtra, quæ eſt per ſolam euangelicam doctrinam, ſit nobis ſpeculum, quod iugiter ob oculos noſtros, CHRISTVM ſalutem noſtram contuendo, obuerſetur. Euangelium CHRISTI nunquam ab ore, nunquam à corde excidat. Oculus noſter, & oculi lumen interim ſit fides, ut nunquam in falſitatum & errorum tenebris cæcutiat. Pes noſter ſit ſpes, & plena in deum fiducia, qui nunquam in terrenis & lubricis fallaciis labatur, ſed æternis bonis fixus, ex illis ſolis pendens. Cor noſtrum ſit charitas, quæ è ſpiritu ſancto prodiens, inflammet ipſum, ut ſit ſepties lucidius ſole, neque unquam algore ſtygiæ noctis, id eſt, inferni, geletur, quod odium eſt ſupernæ charitati contrarium. O charitas dei, quæ omnia perficis, quæ è terrenis cœleſtes efficis, quæ ſola in cœlum aſcendis, quæ unũ cum deo efficis, transformãs ſemper in id quod eſt optimum: quia deus charitas eſt: tu es uia, & ſola uia ſaluans animas, tu es pater, tu es filius, tu es ſpiritus ſanctus in ueritate: tu es chariſmatum, & diuinorum donorum perfectiſſimum in participatione. Ergo iuxta diuini hic apoſtoli dictum, ſeruemus noſmetipſos in dei dilectione, id eſt, in illa tam ſublimi, tam diuina, tam cœleſti fidei charitate. Sed quomodo hanc aſſequemur? Certe ſi coaptauerimus noſmetipſos non ex nobis ipſis, ſe ex gratiæ infuſione ſanctiſſimæ fidei noſtræ, uitam noſtram ſpiritualibus fidei operibus deo commendantes, & in ſpiritu ſancto, in ſpiritu puro & mundo, id donum à deo omni humilitate efflagitantes, & expectantes non ex operibus noſtris, non ex iuſtitia noſtra, ſed ex miſericordia domini noſtri IESV CHRISTI uitam æternam. Non enim opera ſpiritualia quæ operamur, noſtra ſunt, ſed illius qui infundit gratiam, & operandi largitur potentiam. Anima noſtra ex ſeſe terra eſt arida & ſitiens: gratia autem, imber fœcundans è nubibus erumpens, ſol uero influens calore confouens, & incrementum præſtans, deus eſt qui omnia in omnibus ſpiritualibus operatur ſpiritualia. Quod ſi creatura

tura illi cooperatur, id insuper dei munus est: ut deo totum & operatio & cooperatio, principale & accessorium, principium & finis tribuatur, nobis autem tanquam à nobis nihil, nisi quod ad labendum est pronum. Nos sumus ferrea securis in manu artificis: quæ solum ex se prona est ad casum, qui nihilominus diuino agitante spiritu nosmetipsos coaptamus, atque in templum dei uiui coædificamus. Neque satis est nosmetipsos in dei dilectione seruare, nisi etiam & alios nitamur eadem dilectione arguere, iuuare, seruare. Propter quod subdit Iudas apostolus:

23 » Et hos quidem arguite iudicato, illos uero saluate, de igne rapientes, alijs
» autem miseremini in timore, odientes & eam quæ carnalis est, maculatam tuni-
» cam.] Charitatis officium est eos etiam, quos ad bonam frugem reuocare non possumus, quia obstinati, reprobi, & iam condemnati sunt, arguere: ne alios in suam perniciem alliciant, & pertrahant tandem in communem perditionem: & hi prima tanguntur particula. Charitatis insuper secundum officium est, allectos & seductos, sed nondum induratos & obstinatos, de igne gehennæ eripere, & à faucibus inferni abstractos cum solicitudine ad salutem reuocare. & hi secunda tanguntur. At non minus charitatis est opus, aliorum in timore dei misereri, quos aut aduersitas premit, aut rerum inopia urget, aut malorum persequutio stringit: & in eos omnia misericordiæ uiscera impendere, & hi tertia tanguntur particula. Et non hæc modo ex diuina illa dilectione facienda, sed & propter eum cui soli charitatem totam debemus, odire debemus nostram carnalem tunicam, nostrum exteriorem & ueterem hominem exuere, crucifigere, & penitus per spiritum fidei mortificare cum omnibus actibus suis, & tollentes crucem sequi CHRISTVM, ut tota uita nostra nihil aliud sit quàm CHIRSTI uitæ imitatio, odium nostræ carnalis & maculatæ tunicæ, id est, crucifixio. Veteris carnis, & concupiscentiarum per regenerationis spiritum & gratiam mortificatio, ingressus est sanctitatis, ingressus infusionis uitæ, charitatis, & omnium charismatum, liberius obtinendorum. Et hæc spiritu mortificata caro, caro noua est. Quid enim uetus caro aliud facit, quàm impuritatis peccata & maculas, quàm mortis infusionem, & diuinorum odium? & hæc uetus caro, CHRISTI caro, quæ sancta est, & omni gratia perfusa esse non potest. Si uis ergo esse membrum CHRISTI, & caro de carne, & os de ossibus, odi maculatam carnis tunicam, exue concupiscẽtias, interfice & mortifica porcum luxuriæ, anguem inuidiæ, leonem iracundiæ, & omne reptile immundum: quibus enecatis, habetis carnem nouam, carnem carni CHRISTI aptam, corpori CHSISTI coaptandam, carnem sanctam quæ non maculat, carnem quæ non peccat, carnem non ueſtitam carne, id est concupiscentijs, sed spiritu. O sancta & admirabilis, sed parum intellecta, ἀπάθεια, id est, τῆς σαρκὸς νέκρωσις, quam CHRISTVS docuit, quam per nouam generationẽ & è cœlo sancti spiritus illapsum, discipulis suis infudit, quam in scripturis apostolorum & euangelistarum, quasi per transennam uidemus: ad quam non penetrat animalis sensus: sed prorsus possibilem negat, & bene quidem negat possibilem, sed humana potestate: nam hæc non est humanæ, sed diuinæ potestatis: ut nemo glorietur, nemo in se confidat, nemo in sua potestate, sed omnia deo accepta referat, cuius est hæc potestas. & hoc donum nouæ carnis quæ non peccat, hominibus datum per dominum nostrum IESVM. Quod ut cognoscamus & confiteamur, nequæ potestati nostræ quicquam tribuamus, sed illi quæ omnia potest, subiungit Iudas, dicens:

24 » Ei autem qui potens est uos conseruare sine peccato, & constituere ante con-

» ſpectum gloriæ ſuæ immaculatos in exultatione in aduentu domini noſtri IESV
» CHRISTI, ſoli deo ſaluatori noſtro per IESVM CHRISTVM dominum no-
» ſtrum gloria & magnificentia, imperium & poteſtas ante omnia ſecula, & nunc
» & in omnia ſecula ſeculorum. Amen.] Nos omnes qui ad CHRISTI lauacrum uenimus, ad nouam carnem regeniti ſumus. Sed non omnes attingimus hanc mortificationem, quia ad CHRISTVM huius regenerationis autorem non plene conuertimur, non donum id expoſcimus, gratiæ eius nos totos committentes, ut ſpiritu ſuo noxios affectus, ut in ſuapte natura infertili terra noxias herbas pullulantes conterat: ſed magis ut primum ab ineunte ætate pullulant, fouemus, ſequimur, & in illis oblectamur, quouſque nos obruant, & pro carne CHRISTI noua, ſancta & incontaminata, induamur carne peccati, uetuſta, impura, maculata: & qui deberemus eſſe in corpore CHRISTI, quod eſt corpus uitæ & gratiæ, ſumus in corpore mortis & peccati. Sed debebamus à puero, lacte euangelico educari, ne ſuppullularent illæ mortis ſpinæ, aut protinus gladio ſpiritus amputare: debebamus intelligere, quis poterat nos ſeruare: ne in hoc miſerabilis fati barathrum laberemur, & ſi laberemur, quomodo quod difficilius eſt, liberaremur: quanquam nihil illi qui liberare poteſt difficile, ſi omni fiducia ad ipſum acceditur: fiducia dico non qua accedens in ſe, ſed in ipſo prorſus fidat. Et quis nam ille qui ſeruare poteſt, & lapſos liberare? Paulus profecto aut in toto, aut in bona parte maculata carnis tunica iam exutus, & ſtola nouæ carnis in-
Rom.8. dutus in perſona talium loquens, nos docet, ſic exclamans: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et manifeſtans liberatorem, reſpondet: Gratia dei per IESVM CHRISTVM dominum noſtrum. Et quis eſt ex Iudæ apoſtoli hic teſtimonio, qui nos poteſt uſque ad diem mortis noſtræ, immo uſq; in nouiſſimũ diem, quũ omnes comparebunt ante tribunal CHRISTI in nouiſſima reſurrectione, immaculatos, & ſine peccato cuſtodire? Dominus noſter IESVS CHRISTVS, qui ſolus deus eſt, ſaluator noſter. Sed an omnes affectus ſint crucifigendi & mortificandi, ut habeamus carnem nouam, carnem CHRISTI immaculatam? Nequaquam, ſed ſolum noxij affectus, qui ſunt ad mala concupiſcentiæ, ut ſunt appetitus auaritiæ, inanis gloriæ, fornicationis, & ſimiles. Innoxios autem & quoſcunque legimus CHRISTVM habuiſſe, bonos, maxime ſi ſpiritus fidei adſit, dicimus. Nam ſunt ad neceſſaria naturæ, aut bonum proximi citra ullam offenſam inſiti affectus, quales ſunt affectus & deſideria ad fidẽ, ſpem, charitatem, miſericordiam, benignitatem, & id genus, quæ uidentur nonnihil habere imitationis ſupereminentis & uere archetypæ conuerſationis CHRISTI. Non quod fides, ſpes, charitas ſint affectus, ſed cœleſtes illapſus, ſupernæq; infuſiones bene iam dei dono affectam animam uiuificantes, multo melius quàm ante affectus illos purgantes, illuſtrantes, conſummantes. Et certe affectus illi non ex corrupta radice, ſed ex præueniente gratia pullulant, & non tam ſecundum naturam, quàm ſecundum uocationis gratiam ſunt: tametſi ſine fide & comitibus gratijs perfecti non ſint, ſed multis egeant, & illis aduenientibus, multo melius quàm prius manent. Stellæ enim ſupra nos in meridie, & ſi abſorptæ à luce, non minus lucent quàm in nocte. Siquidem ſpes quæ à terrenis auocat, purgat: fides quæ ſimplex, & ſolius uerbi dei eſt, illuminat. Et charitas, quæ in unius ſolius domini cultu & ſeruitio eſt conſummat. Spes theſaurizat in cœlo. Fides, eſt totum reddens corpus lucidum, totumq; euangelicum. Charitas, oculus ſimplex, plures dominos neſcit, unum ſolum dominum deum diligens, & omnia propter ipſum. Ergo pro hac obtinenda prorſus immaculatæ, illuminatæ & conſummaræ

uitæ

uitæ innocentia: dominum nostrum IESVM CHRISTVM, qui solus dare potest, & datam conseruare toto corde in spiritu fidei rogemus, ut patrem misericordiarum cum ipso & spiritu sancto in perenni innocentia, puritate, & sanctitate uitæ laudemus, exaltemus & glorificemus, & in hac & in altera uita.

Cui & nunc est, fuit, & erit omnis gloria, maiestas, imperiū, & potestas ante omnia, & in omnia seculorum secula.

Amen.

COMMENTARII IN IVDAE EPISTOLAM, AD DEI GLORIAM ET HONOREM FINIS.